PA
3945
Z5P3

I

QUAESTIONES CALLIMACHEAE

SCRIPSIT

GEORGIUS PASQUALI

490 c

GOTTINGAE
OFFICINA HUBERTIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMXIII

PA
3945
Z5P3

LIBRARY
NOV 23 1964
UNIVERSITY OF TORONTO

942986

Index

I. De hymno in Apollinem 1
II. De fabulis cyrenaeis 93
III. De aliquot hymnorum forma et figura 148

I. De hymno in Apollinem.

Non a singulis ordine versibus interpretandis ordimur, verum nonnulla de universa huius carminis compositione praemittimus, qua nisi aliquatenus certe perspecta, singula explicare non possumus; neque tamen omnia statim initio exsequi in animo est, sed pauca in praesentia monere, quae satis sint ad interpretationis iter muniendum.

Primis versibus Apollinis templum oculis subicitur, in quo ipse deus mox adfuturus est. Qui loquitur, e numero piorum est, qui deum exspectant; testatur enim (v. 1) se conspicere lauream, etiam totum templum concuti; ipse ex altero pariter de turba quaerit, nonne palmam nutare viderit; ipse (v. 5) cycnum sublime canentem audit; ipse portarum repagula et fores patefieri, adulescentes canere et saltare hortatur (v. 6—8). Hi tamen aliquanto post etiam tum stant et tacent; denuo enim (v. 12) idem optat ut ad citharam canant et saltent. V. 16 iussis obtemperarunt, laudantur enim quod fides iam non sileant. Dum iste homo pius v. 17 sqq. recitat turbamque monet ut adulescentium carminibus linguis faveat, isti iam citharam et arcum Apollinis laudant, ut docet illud, quod mare silet, dum aoedi haec carminibus prosecuntur; iam primum *ἰὴ ἰὴ παιῆον* sonat, nam Thetis dicitur (v. 20 sq.) ululatum reprimere, quotiescumque illas voces sacras audiverit. Is igitur qui recitat, choro auscultat; ad chori verba verba sua applicat. V. 25 iam chorus illud *ἰὴ ἰὴ παιῆον* iterat; pius enim ille turbam rogat, ut illas voces resonet. Inde vero quasi ignarus et invitus ad laudes Apollinis singillatim explicandas delabitur, ut choro iam non auscultet. Sed v. 80, cum ad sacrum quod illo die celebrabatur enarrandum quasi fortuito pervenerit, sacras illas voces *ἰὴ ἰή* rursus audit, a pueris scilicet pronuntiatas; neque enim aliter facile explicatur, quod deum

Apollinem *ἰὴ ἰὴ Καρνεῖε πολύλλιτε* rursus invocat. V. vero 97 disertis verbis profitetur se denuo *ἰὴ ἰὴ παιῆον* audire: „*ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν*“, scilicet quot populus sumus; atque illarum vocum originem declarat, quandoquidem chori carmen iam concluditur. Extremae pericopae ratio toto caelo diversa est, quam nondum aggredimur.

In cogitationum conexum mox accuratius inquisituris haec in praesentia satis sunto; ex his enim iam apparet Callimachum se hoc carmine praeconem fingere, vel unum e turba qui praeconis vicibus fungatur; simulare pariter, dum ipse loquatur, rem sacram agi. Eadem, postquam singula deinceps interpretatus ero, pluribus persequar [1]).

Ad ipsam primam carminis pericopam iam accedamus. Quin enim recte Wilamowitzius vv. 1—24 in tres octonorum versuum pericopas diviserit, dubium esse non potest, cum v. 9. 17 ipse Callimachus Apolline nominato doceat se quasi de integro ordiri cumque post vv. 8. 16. 24 quoddam sensus interstitium observetur. Nam versu 8 adulescentes ad saltationem et cantum vocantur, versus vero 9 eo spectat, quod di non ab omnibus sed a puris tantummodo se conspici patiuntur. Item v. 16 Callimachus pueros miratur, quod fides iam sonent; v. 17 iam ad turbam orationem convertit, quam ut linguis faveat, monet. Atque equidem in hanc opinionem inclino, ut censeam recte Wilamowitzium etiam vv. 25—31 quasi quartam quandam pericopam discripsisse. Interstitium enim sensus pariter inter vv. 24 et 25 statuendum est; dixerat enim omnes omniaque tacere, cum *ἰὴ ἰὴ παιῆον* audirent; dictum exemplis stabiliverat compluribus, quorum extremum Niobe fuerat, quae in lapidem conversa fletum tamen in diem posterum reiceret. Nunc vero ipse populum hortatur *ἰὴ ἰή* resonare, *ἰὴ ἰή* scilicet pueri cecinerant; tum, ut adiungeret *κακὸν μακάρεσσιν ἐρίζειν*, sane Niobae exemplo commotus est, quae proprio sensu Apollini aemulata esset; sed illud *ἰὴ ἰὴ φθέγγεσθε* cum Niobae aemulatione Apollinis non ipsum per se cohaeret, neque enim Niobe propterea punita est, quod recusasset quominus iussis obtemperaret. Sententiarum

[1]) Universam huius hymni compositionem primus magna ex parte recte explicavit Ludolphus Malten (Kyrene 43 sqq.); illi iter Wilamowitzius praeierat (Griech. Lit.[3] 209), cum Callimachum in hoc hymno recitatione actioni aemulatum esse scripsisset. De praeconiis poetarum et hellenisticorum et romanorum cfr. Reitzenstein, N. Jahrb. für das kl. Alt. 1908, 84 sqq. 97. 365 sqq.; talia iam (Hellenistische Wundererzählungen, 156 sqq. 160) significaverat.

igitur progressus hic fere est: „Favete linguis, choro ἰὴ ἰὴ παιῆον clamanti auscultantes; ut tacere solent et Thetis et Niobe, quotiescumque illas voces audiverunt, Thetis quae filium Apollinis odio amiserit, Niobe quae ab Apolline propter arrogantiam punita sit.“ Tum paullo post: „ἰὴ ἰή rursus audio; ἰὴ ἰή canite; periculi enim plenum est cum dis pugnare“. Callimachus vult intellegi non minus cum dis pugnare, qui quominus ἰή canant, recusent quam qui illi deo aemulati sint; vult intellegi utrosque pariter punitum iri[1]). Nihil vero contra hanc et interpretationem et discriptionem valet, quod reliquae pericopae octonorum versuum, haec septenorum est; pericopas enim, non strophas distingui voluerunt et Wilamowitzius et Callimachus. Hic enim binas octonorum versuum pericopas inde a vv. 97. 105 denuo orsus est, extremae tantum unum versum adiunxit, qui, quamquam cum pericopa quodammodo cohaeret, per se staret quoque totum hoc carmen concluderetur; Wilamowitzius vero demonstravit Theocritum pericopas item distinxisse, non distinxisse strophas, quae inter se responderent[2]), demonstravit illum, cum hoc faceret, id quaesivisse ut, qui legerent, quasi carmen sibi lyricum legere viderentur, voluisse tamen motuum, ut ita loquamur, libertatem placere[3]).

Prima pericopa haec fere continentur: „Qui concutitur ramus laureus, qui totum templum; procul procul este scelesti. Phoebus iam pede valvas pulsat, quae scilicet sonant.“ Tum post breve silentium: „Nonne vides? subito leniter nutavit palma delia; iam cycnus in aere suaviter canens percipitur: claustra aperimini, nam Apollo iam adest: vos vero, adulescentuli, cantum et saltationem instruite.“ Cupiditatem dei conspiciendi timore et anxietate permixtam Callimachus hac oratione effingere studuit. V. 1 tota domus concutitur, iam deo praesente profani removentur, iam crepantes fores qui loquitur sibi (v. 3) audivisse visus est; sed (v. 4) palma delia leniter tantum concuti observatur, cycnus (v. 5), qui dei scilicet currum trahit, sublime, e longinquo videlicet, canens auditur.

[1]) Haec tam non brevibus disputavi propter Vahlenum, qui contraria sentit (Berliner Sitzungsber. 1896, p. 799 sq.).

[2]) Textgeschichte der Bukoliker 137 sqq., potissimum 150.

[3]) „Gerade die Freiheit der Bewegung bewirkt den ungemeinen Reiz dieser Dichtung; der Effekt ist lyrisch, musikalisch, aber die Mittel sind diejenigen der Rezitation, der Epik. Diese in die taktmäßige Responsion der Musik zu zwingen ist eine Verirrung des Verstandes.“

Inter vv. igitur 3 et 4 intervallum, sit quamvis licet brevissimum, silentii statuendum, non cum Wilamowitzio levissime interpungendum est; is enim qui loquitur, sensit se exspectatione deceptum, in errorem tamen statim rursus rapitur. V. 6 Callimachus portas, quas idem v. 3 deum pulsasse dixerat, rursus orat ut ipsae patefiant; nondum ergo Apollo advenit. Singulari evidentia illius persona potius agitur quam describitur, qui animo suspensus, simulatque vel crepitum audisse vel aliquid nutans oculis deprehendisse sibi visus sit, deum appropinquantem, etiam praesentem se percepisse existimat. Simili arte in carmine multis nominibus simili, hymno in lavacra Palladis, statim initio poeta puellas monet ut iam exeant; se enim deae equorum hinnitum iam auribus percipere; tum aliquot versibus interiectis v. 14 rursus profitetur se currus crepitum audire. Minerva tamen v. 33, iterum v. 43 nondum praesens invocatur ut tandem aliquando exeat; v. 55, qui loquitur, tertium deam orat ut prodeat, ipse interdum puellis historiam narraturus; historia demum absoluta (v. 138) clamat: *ἔρχετ' Ἀθαναία νῦν ἀτρεκές* „nunc profecto venit", ipsam deam (v. 140) salvere iubet tandem praesentem.

1. In Apollinis templo laurus vel certe ramus laureus et palma (v. 4) conspiciuntur. Laurum apud aram Apollinis deliam iam Ulixes miratus erat ζ 162 *Δήλῳ δήποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.* Atque huius loci imitationi fortasse tribuendum est, quod non laurus, sed lauri surculus commemoratur; nisi, quod praefracte negare non licet, non laurus in illo templo educebatur, sed laurea suspensa erat. In lauri fruticeto Delphis serpentem Pythonem Telluris oraculum ante Apollinem natum custodivisse testimonio est Euripidis Iphig. Taur. v. 1244 *ὅθι* (scilicet in cacumine Parnasi) *ποικιλόνωτος οἰνωπὸς δράκων, σκιερᾷ κατάχαλκος εὐφύλλῳ δάφνᾳ γᾶς πελώριον τέρας, ἄμφεπε μαντεῖον Χθόνιον*[1]). Verbis, non re propius ad huius, quem tractamus, loci similitudinem accedit, quod Chremylus (Aristoph. Plut. v. 212 sqq.) narrat ipsum Apollinem lauro concussa oraculum edidisse: Plutum enim bono animo esse iubet: nam se eum e caeco acerrime videntem redditurum esse, *ἔχω τιν' ἀγαθὴν ἐλπίδ' ἐξ ὧν εἶπέ μοι,* inquit, *ὁ Φοῖβος αὐτὸς Πυθικὴν σείσας δάφνην.* Ubi non sufficiunt quae scholiasta adnotat, fuisse apud tripodem laurum, quam Pythia, cum

[1]) Ubi vox *κατάχαλκος* non intellegitur; *κατάκρυπτος* vel vox eiusdem significationis requiritur, quae ad traditas litteras propius accedat; *κατάφαρκτος* coniecit Bruhn.

oracula ederet, concuteret. Immo prodigium eo continetur, quod non Pythia sed ipse deus Chremylo vaticinatur: *σείσας* ergo ad deum referendum est, qui lauri ramum manu gerit, ut solent vates, cum oraculum edunt. Eodem spectat illud Valerii Flacci, quod Spanheimius attulit, de Phineo I 548 *hic demum vittas laurumque capessit numina nota ciens*. Apollinis vero in templo delio limina tremuisse laurumque dei responsum Aeneae reddentis Vergilius cecinit (Aen. III 90 *tremere omnia visa repente, liminaque laurusque dei*), cuius tamen loci ea de causa minor auctoritas est, quod ipse fortasse de Callimacho expressus est [1]). — Quod palma delia dicitur, inde profecto concludere licet hunc hymnum ad festum delium non pertinere [2]); qui enim Deli certa arbos delia appellari potuit, cum omnes deliae essent? At quo iure certam laurum Cyrenis deliam vocare licuerit, ostendet Aelianus (v. h. III 1), vel potius Theopompus [3]) cum Hesychio collatus. Ille enim narrat Delphos quotannis aliquot adulescentes Tempe mittere solitos esse, qui inde ramum eius lauri decerperent, e qua sibi coronam Apollo repetivit Pythone interempto. Theopompi testimonium idem iam Callimachus confirmat Iamborum fragmenti nuper reperti (Oxyrh. Pap. VII) v. 230, ubi laurus glorians inducitur: *οἱ Δωριῆς δὲ Τεμπόθεν με τέμνουσιν ὀρέων ἀπ' ἄκρων καὶ φέρουσιν ἐς Δελφοὺς ἐπὴν τὰ τῶπόλλωνος ἱρὰ γίνηται*. Hesychius [4]) vero eandem laurum (quae alia enim *ἡ ἐν τοῖς Τέμπεσι δάφνη* definito articulo praeposito vocari potuit?) deliam dictam esse testatur. Vix fieri potuit ut certa laurus in cultu „ad memoriam“ illius homericae ζ 126 delia vocaretur [5]), ut potius in Maassii (Herm. XXV 1890, 403) opinionem traheremur, deliam dici laurum surculo de palma delia decerpto ortam. Simile est quod Hercules ab eo qui mirabiles auscultationes pseudoaristotelicas scripsit dicitur (p. 834a 23 sqq.) surculo de olea illa portentosa decerpto, quae Athenis in Pantheo religiosissime coleretur, oleam sevisse e qua athletis in certamine Olympico

[1]) Cautius loquor, quod hoc mihi non tam certo constat quam Nordeno (ad Aen. VI 255): nam omnia tremere in quavis dei praesentis descriptione sollemne erat, laurea concussa in quavis Apollinis quidem praesentis.

[2]) Quod moneo propter Studniczkam Herm. XXVIII 1893, 6 sqq.

[3]) E. enim A. de Stefani (B. ph. W. 1911, 92) demonstravit Aelianum haec e Theopompo expressisse.

[4]) s. v. *Δαφεία· ἡ ἐν τοῖς Τέμπεσι δάφνη· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ Δηλία.*

[5]) Hoc enim de laurea Callimachea contendit Maltenus (p. 43, p. 52 adn. 1); *Πυθικὴν δάφνην* Chremylus laurum delphicam vocat, cum Athenis degat.

victoribus coronae pararentur. Atque peropportune accidit quod Cyrenis (ad festum enim cyrenaeum hunc hymnum spectare demonstraturi sumus) titulus inventus est vestibuli templi Apollinis, velut ex ipsis inscriptionis verbis colligitur, quo *ἔρνος ἀνερχόμενον*, ut in Odyssea. commemoratur: quamquam et res est incerta, quoniam tituli fragmenta tantum servantur, et inscriptio, ut litterae unciales arguunt, ipsa recentissima est[1]), ut hoc fundamento quasi firmo quodam niti nemo sanus audeat.

2. Callimachus, cum *ἐκὰς ἐκὰς ὅστις ἀλιτρός* clamat, consuetam sacrorum formulam aliquanto detorquet: veteres enim non scelestos sed profanos a re sacra faciunda arcere solebant; ut scripsit Horatius (c. III 1) *odi profanum volgus et arceo*, non scripsit *scelestum volgus*. Pariter Alcibiades (apud Platonem *conv.* 218b) mysticam quandam orationem recitaturus servos *καὶ εἴ τις ἄλλος ἐστὶν βέβηλός τε καὶ ἄγροικος, πύλας πάνυ μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπιθεῖναι* iubet: qui quam sacrorum formulam paullo mutatam exprimat, docebit Orphei fr. 4 Ab. *φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι*. Sane nullum Graecorum religionum ritum praeter mysteria Eleusinia novi, a quo improbi excluderentur; *βέβηλοι* enim illi sunt qui nondum initiati sunt: *μιαροί* vero non universi improbi, sed qui certo *μιάσματι* polluti sunt. Sane animi puritatem in sacrificiis philosophi postularunt, ut Plato (legg. IV 716 de) eumque secutus Cicero (legg. II 22. 41)[2]). Aliter se rem habuisse in mysteriis Eleusiniis docemur Aristophanis imitatione qui mystarum chorum (Ran. v. 355) fecit monentem ut discederet quicumque *γνώμῃ μὴ καθαρεύει*; quis vero spondet hanc formulam sophistarum aetate vetustiorem esse? Atque totus Callimachi locus ita comparatus est, ut, quae ad puritatem sacralem pertinebant, ad animos transferantur; ita paucis versibus interiectis (v. 9) clamat non omnes Apollinem conspicere, sed bonos tantum. At Vergilius cum Callimachum latine redderet (Aen. VI 258), *procul procul este profani* scripsit, id est a rara ad consuetam formulam

[1]) Titulum de Fourmontii schedis depinxit M. Fränkel, Berliner Sitzungsberichte 1903, 87; primae versuum litterae servatae sunt. *ἢ πρό[π]υλον κα | τῆς γ[ὰ]ρ ἔγωγ | [ἔ]ρνος [ἀ]νερχό[μενον] | [Λ]ητοϊ[δ]ην δέ.*

[2]) Nihil ad contrarium demonstrandum valet scholium ad Aristoph. Pac. v. 968 *σπένδοντες γὰρ ἔλεγον, τίς τῇδε ἀντὶ τοῦ τίς πάρεστιν· εἶτα οἱ παρόντες εὐφημιζόμενοι ἔλεγον, πολλοὶ κἀγαθοί· τοῦτο δὲ ἐποίουν οἱ σπένδοντες, ἵνα οἱ συνειδότες τι ἑαυτοῖς ἄτοπον ἐκχωροῖεν ἐκ τῶν σπονδῶν.* Patet moris attici causam quaeri, hanc vero scholiastae arbitrio fingi, qui a philosophorum doctrinis totus pendeat.

rursus deflexit. Quin tamen illi hoc Callimacheum ante oculos obversatum sit, dubitari non potest; eodem enim modo *procul procul* iterat atque ille *ἑκὰς ἑκάς*, ut alterum *ul* producatur atque ictu feriatur, alterum corripiatur; quae fere diligit Callimachus: cfr. h. I 55. Quod extremam vocis *ἑκάς* syllabam ante alterum *ἑκάς* produxit, exemplar epicum nimirum imitatus est: apud Homerum enim illa productio ante vocem *Fεκάς*, quae a consona initium capiebat, legitima erat, id est positione illud *ἑκάς* producebatur; quod sane Callimachus non novit. Sed illud Odysseae *μ* 435 *ῥίζαι γὰρ ἑκὰς εἶχον* haec scribenti obversatum est.

V. 3 fores crepantes iam audit. Quod Apollinis pes *καλός* dicitur, ad morem hellenisticum pertinet, ut ipse deus *καλός* appelletur. Ut Rhianus A. P. VI 278, 1 scripsit *παῖς Ἀσκληπιάδεω καλῷ καλὸν εἵσατο Φοίβῳ Γόργος ἀφ' ἱμερτᾶς τοῦτο γέρας κεφαλᾶς*; utque Apollonius Argonautas (II 702) fecit *καλὸν Ἰηπαιήον' ἰηπαιήονα Φοῖβον* cecinisse, ubi tamen indicia sunt, quibus demonstretur totum illum locum a Callimachi hymno expressum esse. Atque Lucilius cognomen pulchri Apollinis romanum ita intellexit, quasi idem significaret atque *καλός* graecum: fecit enim illum deum querentem (19–23) alios patres vocari, se vero pulchrum quasi puerum exoletum. Nescio tamen an ipse sive pristinam illius vocabuli vim, quae multo latius pateret quam vis vocis quae est *καλός*, iam non senserit aut ludere maluerit graeca significatione in iocum usus; neque enim unus Tibullus unum Apollinem (II 5, 7) „nitidum pulchrumque“ invocavit, sed iam Ennius Romulum dixerat (ann. 80) pulchrum, id est potius fortem quam bellum; item a Vergilio non tantum Aventinus (Aen. VII 657) „satus Hercule pulchro“ dicitur sed etiam Virbius „Hippolyti proles pulcherrima bello“ (ibd. VII 761) laudatur ubi etiam iunctura antiqua videtur, id est de Ennio expressa[1]).

4. De palma Delia ad v. 1 iam satis superque disputavimus. Ad neutrum adiectivi accusativo casu positum saepe *τι*, ut hic *ἐπένευσεν ὁ Δήλιος ἠδύ τι φοίνιξ* in litteris graecis cuiusque aetatis adiungitur. E Callimacho enotavi II 24 *οἰζυρόν τι χανούσης*; IV 60 *σπερχομένη μέγα δή τι καὶ οὐ φατόν*; IV 189 *αἰνήσεις μέγα δή τι τὸν εἰσέτι γαστέρι μάντιν*; IV 244 *Ἀστερίῃ δ' οὐδέν τι βαρύνομαι*; IV 247 *ἔκπαγλόν τι σεβίζομαι*; V 58 *πουλύ τι καὶ πέρι δὴ φίλατο τᾶν ἑταρᾶν*; V 77 *διψάσας δ'ἄφατόν τι*; VI 57 *Δαμάτηρ δ' ἄφατόν*

[1]) Locos suppeditavit Marxius (ad Lucil. 19 sqq.) qui non omnino recte de Lucilii loco iudicasse videtur.

τι κοτέσσατο[1]). — **5.** Quod unus cycnus[2]) in aere canens auditur, recte ad cycnum Apollinis currum trahentem rettulit Maltenus (p. 43). — **6 sqq.** Quod non solum *κατοχῖες*, idem scilicet qui plerumque *ὀχῖες* vocantur „repagula", sed *κληῖδες* ipsae patefieri iubentur, vox *κληίς* non eas quas „claves" vocamus, sed claustra in universum significat: claves enim illae templorum ingenti magnitudine non in ipso portae foramine relinqui poterant, ut nunc saepius facimus, sed a sacerdote gestabantur[3]). Itaque Callimachus illam vocem in eum sensum accepit quam veriloquium praestare videbatur. Fores Medeae incantationibus se sponte patefacientes commemoravit Apollonius IV 41 *τῇ δὲ καὶ αὐτόματοι θυρέων ἐπόειξαν ὀχῆες ὠκείαις ἄψορροι ἀναθρώσκοντες ἀοιδαῖς*, ubi illud *ἄψορρον ἀναθρώσκοντες*, vehementius id quidem, docet tamen quae vis in eo quod est *ἀνακλίνεσθαι* lateat. — Quod vocativo vel nominativo vocativi vicibus fungenti Callimachus articulum addidit, sacrorum linguam imitatus est: ut Aristophanes Dicaeopolin phallophoriam instruentem ita *τὴν κανηφόρον* allocutum esse fecit (Acharn. v. 252): *πρόιθ' ἐς τὸ πρόσθεν ὀλίγον ἡ κανηφόρος*. Pariter Alcibiades platonicus, cum (Conv. p. 218b, quem locum paullo superius laudavimus) servos monet ut orationi mysticae aures claudant: *οἱ δὲ οἰκέται . . . πύλας . . . τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε*. Ex ipso Callimacho conferendus h. V 47 (pariter dei *ἐπιφάνεια* exspectatur) *σάμερον αἱ δῶλαι τὰς κάλπιδας ἢ'ς Φυσάδειαν ἢ ἐς Ἀμυμώναν οἴσετε*. Quae loquendi consuetudo inde explicatur, quod, qui sacra praeit, officio et auctoritate summi imperatoris fungitur, cum maxime intersit illa rite celebrari; magistratum vero decet imperio suo subiectos ita alloqui ut erum servos[4]). — **8.** *μολπήν τε καὶ ἐς χορόν* ita dictum est, ut scripsit idem Callimachus (ab eo enim exemplum quaerimus) h. III 243 *ἔδραμε*

[1]) Multa similia omnes et poetae et scriptores, plurima Euripides suppeditabit; pauca enotavi. Cum Callimachi IV 60, 189 cfr. Electr. 57 *οὐ δή τι χρείας ἐς τοσόνδ' ἀφιγμένη*; cum II 21 cfr. Androm. 1148 *ἐφθέγξατο δεινόν τι καὶ φρικῶδες*; cum IV 244 cfr. Electr. 1105 *καὶ γὰρ οὐχ οὕτως ἄγαν χαίρω τι, τέκνον, τοῖς δεδραμένοις ἐμοί.*

[2]) De cycno Apollinis ministro cfr. IV 49.

[3]) De repagulis et clavibus templorum cfr. Diels, Parmem. 117 sqq., potissimum 128; tum Berl. Sitzungsber. 1908, 27 sqq.

[4]) Cfr. quae de nominativi cum articulo coniuncti usu in vocativi locum adhibiti disputavit Wackernagel, Antike Anredeformen, prooem. Gotting. a. 1912, p. 8/10. — Toto caelo diversum est illud Xenophontis inst. Cyr. V 3, 42 *ἐπιμέλεσθε δὲ τοῦ σιωπῇ πορεύεσθαι οἵ τε ἄρχοντες καὶ πάντες οἱ σωφρονοῦντες*; articulus enim idcirco additur, ut *ἄρχοντες* e participio nomen substantivum fiat.

δ'ἠχὼ Σάρδιας ἔς τε νομὸν Βερεκύνθιον) utque Aeschylus scripserat (Pers. v. 492) *Μαγνησίαν δὲ γαῖαν ἔς τε Μακεδόνων χώραν ἀφικόμεσθα.* Praepositionum ad bina substantiva pertinentium, ante alterum tamen positarum plura exempla collegit Wilamowitzius ad Herculis euripideae v. 237.

Altera pericopa iam sequitur, quae inde initium capit, quod, dum Apollo iamiam adest, sive poëta sive praeco turbam monet non omnibus deum ostentum iri; fore qui eum non conspiciant: „Apollo a bonis tantum se cerni patitur"; tum rursus indicium, quis bonus sit, ab Apolline perspecto repetitur: „qui eum videat, excelsus; quin videat, humilis ille; nos vero eum videbimus neque iam humiles erimus". Profecto hoc monitum cum scelestis statim initio remotis quodammodo coniungitur: illud enim innuitur, si qui mali in templo manserint, illis legem sacram migratam nullius usus fore, neque enim illis Apollinem conspectum suum concessurum[1]). Sed sententiarum interstitium etiam eo declaratur, quod qui loquitur non extrema praecedentis pericopae verba prosequitur, sed ad v. 2 quodammodo revertitur. Tum ad turbam conversus optat ut pueri neque citharam silentem neque immotos pedes habeant, cum iam Apollo adsit, siquidem cupiunt se ad nuptias, etiam ad senectutem provehi, moenia, urbis scilicet, in antiquis fundamentis manere. Iam pueros miratur, qui ad citharam canant atque saltent; iam illis silentium facit.

12 Structuram illorum verborum *μήτε σιωπηλὴν κίθαριν μήτ' ἄψοφον ἴχνος τοὺς παῖδας ἔχειν* si diligenter perpendemus, iam perspiciemus interpretes falli, cum sumant eum qui recitat, cum ipsis pueris loqui. Si enim cum pueris colloqueretur, non *τοὺς παῖδας* verum *οἱ παῖδες* scripsisset; quotiescumque enim modus infinitus imperativi vicibus fungitur, subiectum, si alterius personae loco est, casu nominativo, si tertiae, casu accusativo adiungitur; ut opus sit statuere virum illum pium sive cum turba colloquentem sive ipsum secum, quod sane non minus placet, optare ut pueri iussis obtemperent, non illos hortari; id quod interpretes, quantum video, fugit. — Pueros omnes canere, saltare, fidibus psallere usque adhuc intellexisse videntur interpretes, quam tamen interpretationem fateor mihi neque necessariam neque probabilem videri. Nullum enim choreae exemplum novi, in quo universi psallerent; sed inde a vasculo illo nobilissimo Françoisii, ubi Theseus citharam manu tenens effingitur,

[1]) Quod moneo adversus Vahlenum (p. 798).

unus fides tractat, reliqui saltant. Pueri profecto (v. 8) ad cantum et chorum, id est ad cantum et saltationem vocantur, sed hoc loco quem disceptamus, non ut citharam ipsi tradant, monentur, sed ne eam tacitam neve immotum pedem teneant, quod callidissime dictum etiam ad unum psallentem, dum reliqui saltant, referre licet. Etiam *ἠγασάμην τοὺς παῖδας, ἐπεὶ χέλυς οὐκέτ' ἀεργός* in hunc sensum accipere certe licet; nam saltatio ad citharam cum ipsa cithara tam arte cohaeret, ut altera commemorata alterius statim admoneamur: „pueros miror, quod cithara iam non otiosa est, iique scilicet ad eam saltant". — **14** *γάμον τελεῖν* proprie dictum est, *τέλος* enim *γάμοιο* iam apud Homerum sollemne. Senes graecos nunquam barbam totondisse nisi liberis amissis ne Schneiderus quidem demonstravit, qui in *πολιήν τε κερεῖσθαι* offendit. *τελεῖν* est scilicet tempus futurum: *μέλλειν* ita dictum est, ut homericum (*B* 38) *νήπιος, οὔτε τὰ ἤδη ἃ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα· θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεα τε στοναχάς τε Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι*, ubi illud *ἔμελλεν* quasi item atque illud *μήδετο* interpretari certe poterant, quasi esset meditari, velle. Ita pariter *O* 601 sqq. legimus Iovem exspectasse, dum prima navis arderet: *ἐκ γὰρ δὴ τοῦ μέλλε παλίωξιν παρὰ νηῶν θησέμεναι Τρώων, Δαναοῖσι δὲ κῦδος ὀρέξειν*. Sequitur *τὰ φρονέων* etc. Cfr. quoque *Λ* 21 *πεύθετο γὰρ Κύπρονδε μέγα κλέος οὔνεκ' Ἀχαιοὶ ἐς Τροίην νήεσσιν ἀναπλεύσεσθαι ἔμελλον*, ubi profecto *μήδοντο* substitui poterat. — **15** Nescio an Callimacho *ἐστήξειν τὸ τεῖχος ἐπ' ἀρχαίοισι θεμέθλοις* scribenti praeconii Medeae pindarici succurrerit Pyth. IV 14 sqq. *φαμὶ γὰρ τᾶσδ' ἐξ ἁλιπλάγκτου ποτὲ γᾶς Ἐπάφοιο κόραν ἀστέων ῥίζαν φυτεύσεσθαι μελησίμβροτον Διὸς ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις*, quod Callimachus recte ad Cyrenas rettulerit: ita iam scholiasta intellexit, qui tamen in hoc haerebat, quomodo Iovis Ammonis fundamenta, cuius templum satis longe distaret, cum illa urbe coniungerentur. At saepenumero in nummis cyrenaicis caput Iovis Ammonis repraesentatum est[1]), ut non audacius sit conicere Cyrenas „moenia Ammonis" vocatas esse. Itaque voluit fortasse Callimachus, ut ad eum redeamus, Medeae promissum, ibi urbem staturam, sancire et quasi renovare eadem voce usus; ad Cyrenas enim hoc carmen pertinere mox per se elucebit. —

---

[1]) Cfr. Head hist. numm. ² 865 sqq. Eodem fortasse spectat, quod Cyrenis permultae tegulae ab Americanis inventae sunt *Ζεύς* nomine impressae; ad templum Iovis Ammonis pertinere suspicatus est Norton. Bull. of archaeol. Instit. of Amer. II 152.

16 Aoristum *ἠγασάμην*, ibi positum ubi praesens exspectamus, stabilivit Vahlenus (p. 799, adn. 1) Aristophanis Eq. v. 696 *ἤσθην ἀπειλαῖς, ἐγέλασα ψολοκομπίαις* comparato.

Quomodo tertia pericopa cum secunda cohaereat, modo demonstravi; qui enim loquitur, cum puerorum chorum iam ad citharam saltantem videat (v. 16), ei quasi praeco silentium facit: „Silentes audite, dum Apollo canitur: dum Apollo Lycoreus ab aoedis canitur, dum voces illae *ἰὴ ἰὴ παιῆον* sonant, tacet mare, desistit Thetis ab Achillis fletu, Niobe in rupem conversa lacrumas intermittit". — 17 *ἐπ' Ἀπόλλωνος ἀοιδῇ* ad *εὐφημεῖτε* trahendum est, non cum *ἀίοντες* coniungendum, quae est inaudita structura. Sequitur eadem figura, quam pluribus ad h. III v. 42 sqq prosecuturi sumus. Dicere debuit, cum Apollo ab aoedis praedicetur cumque illud chori *ἰὴ παιῆον* audiatur, et mare et Thetin silere; haec vero ita distribuit, ut diceret, cum aoedi Apollinis Lycorei arma canerent, mare tacere, tacere autem Thetin, cum *ἰὴ παιῆον* audiret. Sed illa figura hoc loco ea de causa emollitur, quod Thetis a mari vix distinguebatur, cum illius nomen illa aetate saepenumero hoc sensu poneretur. Ut Lycophron (v. 22) scripsit naves *παρθενοκτόνον Θέτιν ... θεῖνον .... σπάθαις*, id est Hellespontum, qui puellam Hellen necavit, remis percutiebant". Quid attinet illud Vergilianum afferre (ecl. IV 32) temptare Thetim ratibus? Egregio autem iudicio Horatius illa figura usus est, cum significare vellet mare Thetidis filium Achillem domum ad Thessaliam non revecturum: fecit enim Chironem Centaurum parvo alumno praedixisse (epod. XIII v. 12) invicte mortalis dea nate puer Thetide, tu non redibis, nec (v. 16) mater domum caerula te revehet, ubi illud revehet ad deam marinam filium quasi manibus sustinentem pariter atque ad ipsum mare pertinet [1]). Similiter fluviorum deos atque ipsos fluvios h. in Del. v. 75 non distingui infra monebimus. Neque huic interpretationi obstat, quod Thetidis lamentationes iam ab Aethiopidis poëtis celebratae erant, si Proclo fides est (chrestom. 5, 4); ab Aethiopide enim qui sine dubio pendet alterius *νεκυίας* poeta fecit (*ω* 47) Thetin *ἐξ ἁλός* venisse ad filium flendum; facile autem potuerunt recentiores deam et mare confundere. Atque accedit ad hanc Callimachi interpretationem firmandam, quod ipsa Niobe (v. 20 sqq.) potius rupes quam femina intellegitur.

[1]) Exempla suppeditavit Reitzenstein GgA 1904, p. 953 adn. 1.

Callimachus vero, cum deorum invocationibus tantam vim tribueret ut non solum hominum turba, verum etiam animantia omnia silerent, sacrorum consuetudinem secutus est; nam magos multo recentiore aetate rerum naturam tacere hortatos esse, nuper didicimus e fragmento papyri Mimautianae, quod edidit Ludovicus Fahz[1]). Haec enim Solis invocationi praeponuntur (v. 198 sqq.) *ἥσυχον ἐν στομάτεσσι πάντες κατερύκετε φ[ωνήν], αἰθέρος ἀμφίδρομοι σιγὴν ὄρνιθες ἔχοιτε, σκιρτῶντες δελφῖνες ὑπὲρ ἁλίοιο παύεσθε, μείνατέ μοι ποταμῶν τε ῥοαὶ καὶ νάματα π[ασμῶν], οἰωνοὶ πτηνὰ νῦν σιήσατε πτήματα ὑπ᾽ αἴθραν. ἑρπετὰ φωλειοῖσι βοὴν ἀίοντα φοβεῖσθε, δαίμονες ἐν φθιμένοις σιγὴν τρομέοντες ἔ[χοιτε], ἀρρήτοις ἐπέεσσι κόσμ[ος συσσείεται αὐτός.* Atque nescio an illud Theocriteum in Pharmaceutriis (v. 38) *ἠνίδε σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶνται δ᾽ ἀῆται· ἃ δ᾽ ἐμὰ οὐ σιγᾷ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία* ita accipiendum sit, quasi, quid *ἔγχος* illa et Hecatae sacra effecerint, describatur: „iam tacent mare et venti carmine victi, nondum tacet aegritudo“. Magorum invocationibus invocatio simillima est, quam apud multo vetustiorem auctorem Aristophanem legimus; qui Agathonis servum *προθυσόμενον* eri *τῆς ποιήσεως* fecit precatum esse (Thesmoph. v. 39) *εὔφημος πᾶς ἔστω λεὼς στόμα συγκλείσας· ἐπιδημεῖ γὰρ θίασος Μουσῶν ἔνδον μελάθρων τῶν δεσποσύνων μελοποιῶν· ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμος αἰθήρ, κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω γλαυκόν, πτηνῶν τε γένη κατακοιμάσθω, θηρῶν τ᾽ἀγρίων πόδες ὑλοδρόμων μὴ λυέσθων*; nonne haec et Callimachi et magi simillima? Atque in carmine altero delphico de Apollinis *γοναῖς* (Fouilles de Delphes III 2, 160) v. 10 eadem fere verba legimus quae apud Aristophanem, *νηνέμους δ᾽ ἔσχεν αἰθὴρ ἀε[λλῶν ταχυπε]τεῖς δρόμους*: nimirum formula fuit.

18 *ὅτε κλείουσιν ἀοιδοί* ab illo homerico (*α* 338) *ἔργ᾽ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τά τε κλείουσιν ἀοιδοί* manasse iamdudum perspectum est; ad eiusdem autem versus imitationem fortasse pertinet, quod h. in Iov. v. 51 *Ἰδαίοις ἐν ὄρεσσι, τά τε κλείουσι Πάνακρα* eadem vox pariter in paene ultima sede collocatur. Simili vero ratione aoedorum in re sacra officia cum *εὐφημίᾳ* coniunxit Aeschylus Suppl. 694 *εὐφάμοις δ᾽ ἐπὶ βωμοῖς μοῦσαν θείαι᾽ ἀοιδοί*. — 19 Extremae vocum *κίθαριν* et *Θέτις* syllabae ante caesuram semiternariam productae ita inter se respondent, ut v. 17/18 *ἐπ᾽ Ἀπόλλωνος ἀοιδῇ* et *ὅτε κλείουσιν ἀοιδοί*. Illo *Θέτις* eo facilius quasi iambo Callimachus usus est, quod Homerus *Σ* 383. 424 *εἶπε Θέτι ταὐτόπελε,*

[1]) Arch. f. Religionsw. XV 1912, 410 sqq.

Ω 88 *ὄρσο Θέτι καλέει* scripsit, quamquam Zenodotus nominativos ambobus prioribus locis sive legit sive potius coniectura fretus substituit. — Cithara et arcus praecipua Apollinis insignia sunt, ut ipse haec sibi prima vindicaverit (h. in Ap. homerici v. 131 *εἴη μοι κίθαρίς τε φίλη καὶ καμπύλα τόξα*), reliqua impune sibi a Mercurio fratre detrahi passus sit, his tantum timuerit (h. in Merc. v. 514 *δείδια, Μαιάδος υἱέ, διάκτορε ποικιλομῆτα, μή μοι ἀναιλέψῃς κίθαρίν τε καὶ καμπύλα τόξα*). — 19. Apollinis Lycorei cognomen rarius est. Callimachum ab Apollonio Rhodio IV 1490 *νίωνὸς Φοίβοιο Λυκωρείοιο Κάφαυρος*) expressum esse, non vice versa, mihi idcirco verisimile videtur, quod epitheta etiam non vulgata deorum nominibus in hymnis adiungere sollemne erat, non ita in carminibus epicis, essent licet illa docta[1]). Euphorion (fr. 92 Scheidw.) *ὁπλοτέρου τ' Ἀχιλῆος ἀκούομεν Εὐρυλόχοιο, Δελφίδες ᾧ ὕπο καλὸν ἰήιον ἀντήεισαν Κρῖσαν πορθήσαντι Λυκωρέος οἰκία Φοίβου* illud epitheton inde fortasse derivavit, unde ipsam fabulam, ex eiusdem Callimachi alio loco. Callimachus enim, ut Stephanus s. v. *Λυκώρεια* testatur, Lycorean operis nescio cuius *ἐν τῷ τρίτῳ* commemorarat (fr. 31): solet vero Euphorion Callimachum exscribere[2]). Recentiores non curamus. Callimachus fortasse credidit Delphos primum Lycoreae *ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ* habitasse, unde Apollinem delphicum *Λυκωρέα* dictum, ipsos *Λυκωρεῖς*[3]).

22 sqq. Inde ab Homero (*Ω* 614) Niobae fletus in saxum conversae nobilissimus fuit. Niobae lacrumas Callimachus humorem dicit e Sipyli rupe delabentem, ut Sophocles Antig. 827 scripserat *καί νιν ὄμβροι τακομέναν, ὡς φάτις ἀνδρῶν, χιών τ' οὐδαμὰ λείπει, τέγγει δ' ὑπ' ὀφρύσι παγκλαύτοις δειράδας.* — 23 sqq. Ex eodem Sophoclis loco (v. 823 sqq.) *ἵκουσα δὴ λυγροτάταν ὀλέσθαι τὰν Φρυγίαν*

[1]) Quod idem barbaro Amyci ministro *Λυκωρέα* nomen indidit (II 51), momentum non facit.

[2]) Quae adversus Wilamowitzium moneo, qui (Sappho u. Simonides, 294) iudicare videtur Euphorionem ex ipso hoc Callimachi loco epithetum, quod est *Λυκωρεύς*, in suum usum convertisse: *ἀντήεισαν* ex *ἀντηγώνισαν* sive *ἀντεγόησαν* fecit Wilamowitzius.

[3]) Cfr. de Lycoreae situ et incolis Strabo IX 418 p. 590, 1 M.; de Delphorum cognomine quod erat *Λυκωρεῖς* cfr. schol. ad Apoll. Rhod. IV 1490. *Λυκωρέα* Parnasi cacumen commemoravit Lucianus Timon. 106. De Lycoro vel Lycoreo rege Lycoreae eponymo, Apollinis e nympha Corycia filio testimonia diligentissime iam collegerat O. Jahn, Sächsische Berichte I 416 sqq.; cfr. potissimum Pausanias X 6, 2.

ξέναν Ταντάλου Σιπύλῳ πρὸς ἄντρῳ, τὰν κισσὸς ὡς ἀτενὴς πετραία βλάστα δάμασεν) nescio an illud *ἐν Φρυγίᾳ*, id est in Sipylo, fluxerit. Quamquam multi ex antiquis scriptoribus Lydiae partem circa Sipylum Phrygiam dixerunt, ut Strabo (XII 571, p. 803, 1 M.) testatur: *καὶ τὴν περὶ Σίπυλον Φρυγίαν οἱ παλαιοὶ καλοῦσιν, ἄδηλον εἴτε τῆς μεγάλης εἴτε τῆς μικρᾶς μέρος οὖσαν, ᾗ καὶ τὸν Τάνταλον Φρύγα καὶ τὸν Πέλοπα καὶ τὴν Νιόβην.* Eodem fortasse spectat, quod Aeschylus in Nioba Tantalum in Ida habitasse compluriens dixit, ut testatur idem sive Strabo sive Demetrius[1]) (XII 579, p. 814, 28 M.). — In variis saxi vocabulis mire ludit, ut idem *δακρυόεις πέτρος*, tum *διερὸς λίθος*, tum *μάρμαρον* appelletur. Voluit enim Nioben ab omnibus intellegi, cum tamen scelestae feminae nomen ei in sacro commemorare non liceret, ne *εὐφημίαν* violaret. Simile est quod idem Apollo (h. in Del. v. 96 sqq.) Nioben item non nominat, nisi forte illud potius ad obscuritatem in oraculis quaesitam referendum est, sed qui diceret *εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην*, ille fieri potuit ut *ἐναγεῖς* nominare nollet. — Verbo *χανεῖν* idem regimen quod dicendi verbis additur: Aristoph. Vesp. 342 iam contulit Schneider *τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χανεῖν ὁ Δημολογοκλέων ὃδ' ὅτι λέγεις τι περὶ τῶν νέων ἀληθές*; Aiacis v. 1226 iampridem collatus est *σὲ δὴ τὰ δεινὰ ῥήματ' ἀγγέλλουσί μοι τλῆναι καθ' ἡμῶν ὧδ' ἀνοιμωκτὶ χανεῖν.* — Illo *ὅστις* fortasse significatur, quae rupes intellegenda esset, etiam tum in controversia fuisse, non minus atque nostra aetate (cfr. Sayce, J H St. I 1880, 88 sqq.; Ramsay ibd. III 1882, 341 sqq.; Cowper XXVI 1906, 179); neque enim Callimachus *ὅστις* cum *ὅς* confudit. — Illud *μάρμαρον* genere neutro primus, quantum scio, posuit Callimachus; consuetudinem autem suae aetatis secutus est, siquidem Romani, qui tales voces ex hellenistica *συνηθείᾳ* in suum usum converterunt, „marmor" neutro, non masculino genere posuerunt; quamquam enim illud nomen ad similitudinem vocum in -or exeuntium deflexerunt, non erat cur genus mutarent.

Nexum tertiae pericopae cum praecedenti supra (p. 9) brevibus explicavi; nunc eundem paullo pluribus verbis prosecuturus sum. Turbam enim, qui loquitur, obsecraverat ut pueris canentibus sileret; exempla deam et heroinam proposuerat, quae, cum acerrime ab

[1]) Ad hunc enim uterque locus rectissime a Schwartzio relatus est. (P. W. IV 2810).

Apolline punitae essent (Thetidis enim quoque filius Achilles ab Apolline interfectus est: X 359), tacerent tamen, cum aoedi eius virtutes prosequerentur. Nunc chorum denuo *ἰὴ ἰή* invocantem cum audierit, turbam iubet ipsam sacras illas voces resonare: turbam enim, non chorum alloquitur, qui iam canit. Inde explicatur quod in eadem pericopa paucis versibus interiectis *τὸν χορόν* (v. 28) nominat, id quod non faceret, si ipse cum eo colloqueretur[1]). Monuerat sane, ut populus taceret; nunc vero etiam hortatur formulam illam iterare, in qua re progressum quendam facile dispicimus. Populum, ut dixi, hortatur illas voces tollere: periculi enim plenum esse cum dis *ἐρίζειν*, contendere. Tota huius verborum complexus vis in illo *ἐρίζειν* posita est. Sane non solum eos qui legant, Niobae non oblivisci vult, ut Vahlenus monuit, sed etiam eodem verbo usus illius scelus cum eorum scelere comparat, qui non *ἰὴ ἰή* in Apollinis sacris clament. Non minus hi quam illi cum dis *ἐρίζουσιν* „dis repugnant, dis aemulantur"; quae sententiae apud Graecos una eademque voce *ἐρίζειν* notabantur. Item enim Lycurgus *θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν* (Z 131), cum illis litigavit, qui Liberi patris nutrices percussisset, item ab eodem Homero puella praedicatur Veneris pulchritudinem aemulari (I 389), *χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζειν*, vel etiam Hercules et Eurytus ea de causa laudantur, quod (ϑ 225) *καὶ ἀθανάτοισιν ἐρίζεσκον περὶ τόξων*. Plura exempla praesto sunt. — Deos *μάκαρας* dixerat: sequitur „qui ita audax sit ut cum beatis pugnet, iste etiam cum Apolline pugnare possit, cum Apolline pugnare non dubitabit". Optativi vim potentialem agnovit Vahlenus (p. 800/801) stabilivitque cum aliis allatis tum potissimum hoc Ovidi loco (am. III 9, 41 sqq.) comparato: Tene, sacer vates, flammae rapuere rogales, pectoribus pasci nec timuere tuis? Aurea sanctorum potuissent templa deorum urere, quae tantum sustinuere nefas. Item persimile est illud, quod idem laudat, amor. I 7, 4. Flet mea vaesana laesa puella manu; tunc ego vel caros potui violare parentes, saeva vel in sanctos verbera ferre deos. — Ab Apolline per beatitudinis notionem ad regem transgreditur; voci enim *μάκαρ*, quae beatitudinem significat, quaeque plerumque ad immortales refertur, multo plus tribuo quam usque adhuc interpretes fecerunt. In eo deorum rex similis est, quod,

[1]) Haec adversus Vahlenum (p. 799 sqq.) et Maltenum (p. 44) disputavi, qui existimant Callimachum cum populo agere.

ut ille, beatus iure dici potest. Sed ultra progreditur, cum dicat *ὅσις ἐμῷ βασιλῆι, καὶ Ἀπόλλωνι μάχοιτο*: ambos enim quasi pares, quasi unum esse affirmat, cum contendat quod alterutri fiat, alteri pariter fieri. Qui negarit Callimachum *παραλληλισμόν* quendam inter deum et regem statuisse, ille versui 26 interpretando satisfacere poterit, versui 27 non satisfaciet; quin etiam, si recte concludet, illum supervacaneum esse iudicabit. — Dixerat quam graviter di illos ulciscerentur, qui sibi repugnarent; intellectum voluerat, quam timendus illis esset Apollo, qui, quominus *ἰὴ* ipsi canerent, recusarent. Praemi mentio iam sequitur, quo Apollo illos affecturus sit qui sibi debitum carminis honorem non denegent. „Qui ex Apollinis sententia canit, illum chorum Apollo honorabit: potest enim, cum Iovis a dextra sedeat“. Qua ratione haec cum praecedentibus cohaereant, iam apparet. Neque igitur opus est cum Vahleno (p. 802 sq.) hos versus a praecedentibus seiungamus, cum puerorum cohortatione coniungamus, quasi fuerit de Thetide et Nioba inde a v. 20 usque ad 27 quasi quidam excursus. At comprobavimus recta hucusque perrexisse hoc carmen; si vero excursus statuendus esset, qua iam ratione illud *ἰὴ ἰὴ φθέγγεσθε* (v. 25) explicaretur? Cur excursui de Nioba hoc quasi imperium invito inculcaretur? Sequitur: „Ut Apollo, quippe qui facile possit, chorum honore afficiet, ita chorus Apollinem non unum diem canet; Phoebus enim *εὔυμνος* est, ut quisquam eum facile canat.“ Vult scilicet eos qui legant, reminisci illius homerici h. in Apoll. 18 = 207 *πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐόντα*; Homerum enim corrigere studet, quod studium item in h. I v. 60 sqq. deprehenditur; immo facillimum esse illum laudare, cuius tam multae virtutes sint. — Iam haec pericopa concluditur; insequenti carminis parte, quae non iam in pericopas divisa est, Apollinis virtutes enumerantur. Sententiarum conexus qui sit, facile elucebit: illustratur enim quot Apollinis virtutes a choro laudari possint; v. 42 concluditur nullum alium deum artibus tam late patere quam illum. Tum inde a v. 47 ab artibus paullatim ad certa illius dei cognomina deflectit oratio; cum cognomine quod est *Καρνεῖος* (v. 71) religionis Apollinis cyrenaeae, ad quam ipsa epitheta *Νόμιος* et *Ἀρχηγέτης* spectabant, *αἴτιον* consociatur. Denique tandem (v. 80), qui recitat, ad puerorum ululatum *ἰὴ ἰὴ Καρνεῖε πολύλλιτε* rursus convertitur. Iam universa huius carminis structura perspicitur: quae enim a v. 32 usque ad v. 80 decurrunt, vel illuc

spectant vel ita introducuntur ut illuc spectare videantur, ut demonstretur, quam *εὔνμνος* Apollo sit, quam in promptu eum carminibus quam plurimis et quam variis prosequi[1]).

25 In *ἰὴ ἰή* quantitates ita variant, ut v. 2 *ἑκὰς ἑκάς*. Sed hoc loco tenendum Callimachum non tantum vocalem ante vocalem corripere, quantum vocibus illis sine sensu vel ululatu e libidine uti, eas ita corripere producere, ut ei conducat. Atque omnibus id licebat: etiam carmina in sacris recitata exemplo erant. Nam *ἰέ* in certis formulis recurrit non tantum apud poëtas, si ita loqui licet, profanos verum etiam in paeanibus sacerdotum cura lapidibus insculptis: ut in paeane illo Aesculapii sacro, cuius iam tria exemplaria tenemus, aliud Ptolemaide in Aegypto repertum, circiter annum 100 p. Chr. n. incisum, aliud atheniense vel recentius, aliud contra erythraeum medii vel fortasse ineuntis saeculi IV a. Chr. n.[2]), vv. 9. 11. 13. 16 exemplaris aegyptii (hoc enim unum optime servatum est) *ἰὲ ὦ ἰὲ παιάν* legimus, vv. 15. 18 *ἰὲ παιάν* invocatur, vv. 14. 18 vero *ἰὴ παιάν*. Item IV. saeculo Philodamus paeanis Liberi in honorem compositi, qui Delphis repertus est (BCH XIX 1895, 400 sqq.), vv. 5. 18. 31. 57. 109. 122. 136. 148 Liberum *εὐοὶ ὦ ἰὸ Βάκχ' ὦ ἰεπαιάν* invocavit, vv. 11. 24. 37. 62. 115. 128. 142 *ἰεπαιάν*. Item Aristonous in carmine quod ipsi Delphi in templo inscribendum curarunt, *ἰὴ ἰὲ παιάν* et *ὦ ἰὲ παιάν* alternat. Praeterea Isyllus Epidaurius D 1 (p. 13 Wil.) *ἰεπαιᾶνα θεόν* scripsit, tum vv. 22. 25 *ἰεπαιὰν ἰεπαιάν*. His e testimoniis concludimus et *ἰή* et *ἰέ* in sacris promiscue pronuntiatum esse, ut non liceat credere poëtas dactylicos *ἰέ* ex *ἰή* fecisse, quo facilius illas voces numeris constringerent. Atque iam apparet Pindarum in paeanibus formula sacrorum usum esse, cum non solum paean. I v. 5 *ἰὴ ἰή* scriberet, quarum vocum quantitates equidem non novi, sed etiam p. II v. 35. 36. 71. 72.

[1]) Rectissime Vahlenus (p. 803) eorum commenta redarguit qui opinati sunt inde a v. 32 puerorum cantum initium capere; rectissime (p. 803—805) statuit inde ab illo versu explicari quo iure Apollo *εὔνμνος* dictus sit, quamquam minus recte de sede et instituto versuum 28—31 sentit. Idem summo iure in eos invectus est, qui inde quod Apollo Iovis a dextra sederet, concluserant eundem Apollinem intellegi ac Ptolemaeum Euergeten a Philadelpho patre regni societate donatum. At Callimachum „parallelismum" quendam statuisse credere necesse est, quamquam regem cum deo ab eo confusum esse omnino negamus.

[2]) Cf. Rév. Arch. XIII 1889, 71; Wilamowitz, Nordionische Steine 42 sqq.

107. 108 *ἰὴ ἰὲ παιάν*, p. V v. 37. 43 *ἰὴ ἰὲ Δάλι' Ἄπολλον*. Similiter scripsit Timotheus fr. 25 v. 4 *ὦ ἰὲ παιάν* sacrorum formula pariter usus. Atque iam constat apud Sophoclem Oedipodis regis in v. 154, 1096 potius *ἰὴ ἰέ* interiectiones quam vocativum *ἰήιε* scribendum esse. Quod vel magis perspicuum erit Apollonii II 712 sqq. collatis *θαρσύνεσκον ἐπέεσσιν ἰὴ ἰὲ κεκλήγυῖαι*: nymphae enim non Apollinem cognomine nuncupato vocant, sed illi animos addunt. Atque ipse Apollonius versu insequenti testatur illud non cognomen sed *ἐφύμνιον* esse[1]). Libertatem in quantitatibus iam notavit Heraclides Ponticus (apud Athen. XV 701 e f), *ἰὴ παιάν* duabus primis syllabis productis *ἠρῷον* esse, correptis *ἰαμβεῖον*[2]).

31 *εὔυμνος* Callimachum ex hymni in Apollinem homerici v. 19 = 207 sumpsisse *πῶς τ' ἄρ' σ' ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐόντα*; iam monuimus. Pariter illam vocem ad deos rettulit in Brancho (fr. 36) *δαίμονες εὐυμνότατοι, Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ Διδύμων γενάρχα*, ubi priore tamen loco Phoebus invocatur. Non dissimile est, quod h. IV v. 5 idem adiectivum cum omnibus insulis tum potissimum insulae Apollinis sacrae Delo tribuit: fuit scilicet illud quasi sollemne quoddam Apollinis epithetum.

Primo aurea esse Apollinis et vestis et fibula et lyra et arcus et pharetra et calceamenta praedicantur: illum enim auro locupletem esse et non solum illo auro locupletem quod ipse gerat, sed ingentem suppellectilis vim thesauris reconditam habere. — Locum homericum *N* 21 sqq. (cfr. etiam *Θ* 42 sqq.) Callimacho ante mentem obversatum esse docuit Vahlenus (p. 807), ubi omnia quae ad Neptunum quovis modo pertinent, aurea dicuntur (*ἔνθα τε οἱ κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης, χρύσεα μαρμαίροντα τετεύχαται . . ἔνθ' ἐλθὼν ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω ὠκυπέτα, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε, χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ· γέντο δ' ἰμάσθλην χρυσείην εὐτυκτον*. In Apollinem Creusam his verbis invectam esse fecit Euripides Ion. v. 887 *ἦλθές μοι χρυσῷ χαίταν μαρμαίρων*. Vocem tamen *πολύχρυσος* e Pindari carmine cyrenaeo Pyth. IV 53 sumpsit, quod in hoc hymno identidem respicit; voluit etiam id eos qui legerent, non fugere; illic enim

[1]) Hunc locum pluribus disceptaturus sum ad huius carminis v. 97 ff., ubi pariter de qualitate vocalis *e* et spiritu vocalis *i* disputabo.

[2]) Pleraque exempla collegerant Crusius ad Aristonoi carmen, qui tamen de correptione minus recte iudicat, Wilamowitzius ad Asclepii paeanis exemplar erythraeum.

Medea vaticinatur Apollinem *πολυχρύσῳ ἐν δώματι* Battum *Πύθιον ναὸν* ingressum moniturum ut ad Cyrenas condendas naviget; hic statim adiungitur *καὶ δὲ πολυκτέανος· Πυθῶνι γε τεκμήραιο.*

33 *Λύκτιον* arcum vocat, cum plerumque talia arma Cretica dicantur, sed e Lycto sive Lytto[1]) multos *τοξότας* mercennarios originem duxisse, testimonia sunt quibus comprobetur. Ut idem Callimachus Menitae Lyctio epigramma 37 composuit, qui arma Sarapidi suspendit, Pausanias (IV 19, 4) narrat Lacedaemonios bello messenio altero *τοξότας ἔκ τε Λύκτου καὶ ἑτέρων πόλεων* arcessivisse, Lyctiam dixit pharetram Leonidas Alexandrinus AP VI 326 *Λύκτιον ἰοδόκην καὶ καμπύλον, Ἄρτεμι, τόξον Νίκις ὁ Λυσιμάχου παῖς ἀνέθηκε Λίβυς*, nisi forte totum carmen e Callimachi epigrammate expressum est; Paulum Silentiarium *τὸ Λύκτιον ὅπλον* scribentem (AP VI 75, 7) ne curamus quidem.

Sequitur sempiterna et pulchritudine et iuventute Apollinem frui; nunquam eius genas paene muliebres prima lanugine obumbrari; comas unguenta odora stillare, quae tamen non unguenta sint verum panacea; quae quocumque in terram ceciderint, in illa urbe omnia sana et incolumia fore. — 36 *Φοῖβος* adversus criticorum fastidia *Φοίβῳ* arbitrio substituentium Vahlenus (opusc. I 442) defendit, cum doceret Callimachum cum alibi tum hoc loco potius varietati quam aequabilitati consuluisse; eum enim *χρύσεα τῶπόλλωνι τὸ τ' ἐνδυτὸν ἥ τ' ἐπιπορπίς* v. 32 scripsisse, tum v. 39 *οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι*, cum ei liceret utrobique sive secundo sive tertio casu uti. Item articulus ante dei nomen nunc ponitur nunc omittitur. Item illud *αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια* illo *οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι* excipitur: quid vero aliud sunt *ἔθειραι* nisi *κόμαι*? quod discrimen inter *ἀποστάζουσιν* et *λείβουσιν* intercedit? — 37 *οὐδ' ὅσον* multis locis collatis et interpretatus („ne lanugo quidem") et tutatus est Schneider[2]), unum porro exemplum adiecit Vahlenus (op. I 442, adn. 42) ex eodem Callimacho (ep. XLVI 9). — 38 *ἔλαια* unguenta significat vel unguentorum genera varia; quae loquendi consuetudo minime rara est, quandoquidem Theophrastus (fragm. de odoribus 20) *ἔλαια* numero plurali hoc

[1]) *Λύκτος* in nummis antiquissimis appellatur, postea cives *Λύττον* dixerunt: cfr. Blass GDI III 2, p. 347; Head, hist. numm.[2] 471.

[2]) Apollonius III 519 *οὐδέ περ ὅσσον ἐπανθιόωντας ἰούλους* Callimachum exprimere videtur.

sensu posuit. Sed latet fortasse eadem sermonis epici observatio quam apud Athenaeum (XV 688c) in capite de odoribus legimus *τῷ δὲ τοῦ μύρου ὀνόματι πρῶτος Ἀρχίλοχος κέχρηται λέγων* (fr. 31 B.): *Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφετο . . .· ὁ δὲ Ὅμηρος τὴν μὲν χρῆσιν οἶδε τῶν μύρων, ἔλαια δ' αὐτὰ καλεῖ μετ' ἐπιθέτου* (Ψ 186)· *Ῥοδόεντι δ' ἔχριεν ἐλαίῳ*. Ubi non necessario Kaibelius *ἔλαιον* pro *ἔλαια* scripsisse videtur; nam ipsi fortasse Athenaeo numero plurali uti opus erat, ut hic cum plurali vocis *μύρον* congrueret: Homerus enim, singula unguenta siquidem *μύρον* adiectivo addito dixit, unguenta in universum *ἔλαια* appellasset. Itaque Callimachus, cum varia unguentorum genera *ἔλαια* diceret, Homerum sequi voluisse videtur; ipse vero (h. V 15. 16. 29) etiam alibi unguenta composita (*μύρα*. *χρίματα μεικτά*) masculo olivo opponit. — 41 *πρῶκες* proprie roris guttae sunt: cfr. Theocr. IV 16 *μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ* et scholium ad illum locum. Ut guttae roris crebro stillantes quasi audirentur, Callimachus adversus consuetudinem suam alterum pedem ita conformavit, ut e posteriore vocis parte constaret, cuius prior primo pede contineretur.

42 Hucusque Callimachus se in Apollinis facie describenda continuerat: *χρυσός* enim quodammodo ad faciem pertinet: illud vero *πολυκτέανον* quasi quoddam *τοῦ πολυχρύσου γένους* additamentum erat. Mox ad artes transgreditur: nullius dei artem tam late patere quam Apollinis; huius provinciam esse sagittarios cantores augures medicos. Ut solet, hoc quoque loco varietatem aucupatur: Apollo sagittarium et aoedum sorte duxit: augures et thriae illius sunt; medici vero artem morandi mortem ab eo didicerunt. Prioribus binis artibus insignia adduntur: *Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή*, arcum enim et citharam Apollo perpetuo gerit; binis posterioribus addi non poterant; nulla enim sunt, quae quidem Apollo gestans effingi soleat[1]). Vahlenus (p. 809, adn. 1), hanc quattuor Apollinis artium enumerationem

[1]) Vahlenus (opusc. I 438, adn. 1; disputationis de hoc hymno p. 808) suspicatus est hic h. I v. 70 sqq. respici, ubi quos artifices Iuppiter dis minoribus reliquerit quos sibi asseruerit, enumeratur. Sed neque verborum similitudo talis est, ut significationem statuere necesse sit neque notio *τοῦ λαχεῖν* explicatione indigebat et Apollinis potestas etiam minuitur, si cum Iove comparatur, cuius in dicione reges sint, quorum rursus in omnes imperium sit.

sollemnem quandam esse ut demonstraret, testes attulit Pindarum Pyth. V 63 in epinicio de Cyrenis, Platonem Conv. 197a, Diodorum V 74, 5, Horatium carm. saec. 71, Vergilium Aeneid. XII 396; testimonium tamen facile gravissimum neglexit. Plato enim Cratyli p. 405a Socratem inducit demonstrantem nullum nomen aptius quam Apollinis esse *ἓν ὂν τέτταρσι δυνάμεσι ταῖς τοῦ θεοῦ, ὥστε πᾶσιν ἐφάπτεσθαι καὶ δηλοῦν τρόπον τινὰ μουσικήν τε καὶ μαντικὴν καὶ ἰατρικὴν καὶ τοξικήν.* — 45 Auguribus *θριαί* quodam pondere adiciuntur, id est vaticinium per lapillos: hoc enim a multis Apollini abiudicabatur, Minervae, fortasse etiam Mercurio tribuebatur. Suidas s. v. *Πυθώ* testatur in templo delphico super tripode phialam fuisse, in hac calculos qui resultarent, quotiescumque vates deum rogasset, nullos alios opinor, nisi has *θριάς*. Nymphas Thrias, Apollinis nutrices, Parnasi incolas dixit Philochorus (apud Zenobium cent. 575; ab eodem manarunt, quae leguntur Etym. M. p. 455, 49). Alii dicebant *τὴν διὰ ψήφων μαντικήν* a Minerva inventam, Iovem vero Apollini gratificatum illam mendacem reddidisse (cfr. Zenob. cent. 575) [1]), sive etiam ipsam Minervam, insimulatam quod alienam artem exerceret, calculos abiecisse (cfr. Et. M. 455, 34). Mercurio ab Apolline Thrias concedi hymni in Mercurium homerici v. 552 sqq. plerique credunt, nescio an recte. Tres enim sunt *σεμναί* (neque enim est cur tradita arbitrio nostro refingamus *θριαί* substituentes), virgines alis praeditae, Parnasi incolae, peculiaris divinationis magistrae, quae, quotiescumque mel ediderint, vera proferunt; sin aliter, falsa. Numerus et sedes congruunt; in *μαντείας ἀπάνευθε διδάσκαλοι* (v. 556) illud *ἀπάνευθε* nihil aliud significat quam „remotae ab hominum commercio", ita ut eas quaerere necesse sit; Apollo enim ab illis eruditus est, cum in montibus desertis greges pascebat. Hermanni igitur explicatio, si non prorsus certa, at saltem verisimilis est. Apollodorus autem (bybl. III 15), quoniam narrat Mercurium ab Apolline *τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικήν* accepisse, in reliquis vero cum hymno concinit, illud carmen ita ut Hermannus intellexit, non e simili narratione haec in suum usum convertit. — Quod duobus vel fortasse tribus dis divinatio per calculos tribuebatur, inde colligimus hanc primo quasi artem

[1]) Stephanus s. v. *Θριαί* eadem fere verba praebet, nisi quod multa lacuna hausta sunt.

quandam magicam peculiarem nullius dei in tutela fuisse, deos inferiore aetate adiectos; quod saepe ita factum esse constat.

Hucusque Callimachus laudes Apollinis prosecutus erat, quas nemo illi denegaret; mox pastorum deum Apollinem canit, qualis non ubique colebatur. Atque forte accidit ut religionis Apollinis Nomii thessalicae nullum aliud testimonium supersit praeter hunc ipsum Callimachi locum. Quin etiam intra unius Peloponnesi fines Apollo Nomii nomine invocatus est; nam in Arcadia, Epidauri, Patris illius religiones fuisse testimonia sunt quibus demonstretur[1]), alibi fuisse certe nondum constat. Olympiodorus Platonis vitae cap. 1 narrat huius parentes in Hymetto Pani et Nymphis et Apollini Nomio sacrificare voluisse. At non longe ab uno ex Hymetti cacuminibus in spelunca et donaria et tituli inventa sunt, e quibus didicimus illam Panis et Nympharum et *Ἀπόλλωνος Ἕρσου* sacram fuisse, non Nomii[2]); proclivis ergo coniectura est eum minus accurata narrare. Sane in illo specu Apollo cum Pane et Nymphis consociabatur ut Nomius Corcyrae cum Nymphis, Apollonio Rhodio (IV 1218) si credendum est. Unde nescio an concludere liceat Hersum pastorum deum fuisse hincque Olympiodori errorem facile explicari. Quod vero Apollonius poëta doctus templum Apollinis Nomii Corcyrae fuisse testatur, consentaneum est illam religionem inde originem duxisse unde ipsos colonos corcyraeos, a civitate peloponnesiaca Corintho. At Hesiodus *Ἀπόλλωνα Νόμιον*, ut Servius ad Georg. I 14 testatur, in carmine de heroina thessalica Cyrena nominarat, quo Callimachus identidem in hoc hymno conscribendo utitur[3]).

Utcumque id est, Apollinem Nomii nomine Cyrenis excultum esse ex ipsis Callimachi vocibus colligimus. Nam 47 *Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἐξέτι κείνου*, inquit, *ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους*. Qui vero aliter illud *κικλήσκομεν* intellegi potest nisi de turba quae illi deo rem sacram facit, de Cyrenaeis? Ita prorsus hymni orphici saepenumero ab illo vocabulo

---

[1]) Quae collecta sunt a Wernickio PW II 60; titulus epidaurius nunc in IG IV numero insignitus est 1080.

[2]) Cfr. quae de illa spelunca rettulerunt Americani, Amer. Journ. of Arch., alterius seriei VII 1903, p. 263 sqq. 271. 296 sqq. Talia cognomina qualia sunt *Ποίμνιος Νάπαῖος* similia, non curamus.

[3]) Cfr. quae de Cyrenarum originibus in capite altero disputabimus.

ordiuntur, ut h. XX *κικλήσκω μέγαν . . . Δία*; XXIV *Νηρέος εἰναλίου νύμφαι . . .*, *ὑμᾶς κικλήσκω*: XXV *Πρωτέα κικλήσκω*, multo saepius. Atque ab hac consuetudine *ὕμνοι κλητικοί*[1]) appellati sunt illi quorum forma Callimachus sectatur. At dixerit quispiam eo tempore quo Apollo *Νόμιος* dici coeptus sit, Cyrenas nondum fuisse. At Callimachus in universum de omnibus hominibus cogitat qui Apollinem *Νόμιον* appellaverint; eos tamen potissimum intellectos vult, qui illo die in templo cyrenaeo rem sacram faciant.

Ut quae effecisse nobis videmur, paucis comprehendamus, is qui recitat, cum iam sacro quodam furore raptus enarrare coeperit quantam argumentorum vim choro Apollo praebeat, cumque illius dei eas virtutes quas omnes Graeci agnossent, extulerit, iam ad facultates deflectit quae Apollinis cyrenaei propriae sint: „Nemo artibus tam late patet quam Apollo; Apollinem Cyrenaei ex illo tempore Nomium vocamus, cum Admeto armentarius servivit. Quibus armentis armentorum deus faveat, facile illa floreant, id quod nobis precamur."

Admeti amore commotum Apollinem armentarii officio apud eum functum esse nemo, quantum scimus, ante Callimachum narravit. Antea enim Apollo plerumque narrabatur illa servitute vel certe opera mercennaria Iovi Cyclopum interfectorum poenas pependisse[2]). Sed Callimachus de illo amore, quasi de fabula iis nota qui legant, quasi in transcursu loquitur. Etiam non verisimile est omnes, qui postea Admetum Apollinis amores dixerunt, ab hoc Callimachi loco pendere, cum praesertim Callimachus Apollinem Admeti equos pavisse narret, reliquorum nullus equos commemoret, non pauci boves, ut Tibullus II 3, 11 (ubi nomen si non traditum est, at certa coniectura restitutum), Lygdamus III 4, 67, Ovidius her. V 151, art. am. II 239. In scholio ad Euripidis Alcest. v. 1 legimus Rhianum narrasse Apollinem Admeto volentem servivisse, cum illum amaret. Sed Rhianus cum a Suida Eratosthenis aequalis dicatur, non est cur fide illius testimonio detracta opinemur Callimachum hoc loco eum respicere potius quam statuamus iam ante Rhianum Apollinis amorem erga Admetum a poeta quodam fictum esse[3]). Atque duae certe illius fabulae formae inde ab hellenistica aetate fuerunt. Cum enim et

[1]) Cfr. Menander rhetor III 334, 25 sqq. Sp.

[2]) Testimonia paene innumera collecta sunt a Wernickio PW. I 378.

[3]) Quod moneo adversus Wilamowitzium (Herakl.[2] I 68, adn. 125).

Callimachus et reliquorum testium plerique Apollinis unius amorem Admeti commemorent, sunt tamen qui eius aemulum Herculem dicant; ut Augustinus de civitate dei XVIII cap. 13 narrat Apollinem cum Hercule Admeto servivisse, servitutis causam reticet. Plutarchus Erotici p. 761 e narrat Herculem Alcestin servasse, cum ipse Admetum amasset; addit *καὶ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μυθολογοῦσιν ἐραστὴν γενόμενον Ἀδμήτῳ παραθητεῦσαι μέγαν εἰς ἐνιαυτόν*", ubi illius *γάρ* ratio obscura est, nisi fortasse quocumque modo adicere voluit Apollinis erga Admetum amorem, cum et Herculem et Apollinem amantes ei idem auctor praeberet. Quae conclusio Clementis Alexandrini testimonio firmatur: qui (Strom. I 107): Apollo, inquit, *καὶ Ἀδμήτῳ θητεύων εὑρίσκεται σὺν καὶ Ἡρακλεῖ μέγαν εἰς ἐνιαυτόν.* Unum carmen sive herois sive distichis conscriptum Clemens et Plutarchus respiciunt, quo Hercules et Apollo narrabantur Admeto propter amorem simul servivisse. Atque fuit istud carmen et carmine recentius quo unus Apollo Admeto amans servivisse narrabatur (huic enim quasi novum quoddam acumen additur) et fortasse minus nobile, cum plerique unum Apollinem servivisse narrent, pauci etiam Herculem, nemo unum Herculem. Tempora in Rhianum certe quadrant; quadrat quod Rhianus Heracleam conscripsit; quare equidem existimo recte Stählinum in Clementis editione illum versum Rhiano tribuisse, quamquam minus apta confert. Voluit sane Rhianus explicare, qua de causa Hercules euripideus in Admetum tam propensa voluntate fuerit, simul heroem ingentem, etiam immanem Apollini deo bello et cultu elegantissimo insigni aemulantem oculis subicere.

Quis ante Rhianum Apollinem Admetum amasse fecerit, nescio; coniecturam fortasse proponere licet. Philostratus epist. 57 Admetum cum Brancho consociat; Apollinis vero et Branchi castos amores Callimachus cecinit carmine lyrico, quod quantum fieri potest restituit Knaackius, Analectorum Alexandrino — Romanorum p. 48 sqq. In proclivi est conicere ipsum Callimachum hoc hymnorum loco suum carmen respicere, id quod ab illius consuetudine minime abhorret. — Hoc vero carmen quicumque scripsit, quam nobile illud fuerit, hinc etiam demonstratur, quod inde ab aetate alexandrina fluminis Amphrysi nomini in hac fabula certus locus. Quod quamquam Callimachus commemorat, parum verisimile est illud ea de causa nobilissimum factum esse, quod

unus poëta, esset licet clarissimus, illius in transcursu mentionem fecisset. Itaque Amphrysus iam in carmine de Admeto commemoratus erat, quod et Callimachus sequitur et post eum multi, horum antiquissimus Vergilius (Georg. III 2), qui Apollinem invocavit *memorande . . . pastor ab Amphryso*, tam nota erat illa fabella[1]).

49 Quod Apollo Admetum *ἠίθεον*, adulescentem, caelibem, scilicet ante nuptias cum Alcestide amasse dicitur, alexandrinum nescio quid illa vox redolet: succurrit illud horatianum (c. I, 4, 19) *nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet iuventus nunc omnis et mox virgines tepebunt.* — **50** *βουβόσιον* boum armenta significat: voce eiusdem formae *συβόσιον* Homerus ita utitur, ut potius gregem suillum quam haram indicet *Λ* 677 sqq. *λῆϊδα δ' ἐκ πεδίου συνελάσσαμεν ἴλιθα πολλήν, πεντήκοντα βοῶν ἀγέλας, τόσα πώεα οἰῶν, τόσσα συῶν συβόσια, τύσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν*[2]), *ἵππους δὲ ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα.* Ubi e numeris appositis adhuc apparet, qua ratione illud vocabulum ex altera in alteram significationem transierit: neque enim quodvis armentum illa voce indicatur sed certus porcorum numerus, qui una hara contineatur. Illae igitur interpretationes, quae lexicis exhibentur (*συβόσια· τὰ τῶν ὑῶν νόμια* Etym. M.; *συβόσια· συφόρβια* Hesych.; *συβόσιον· τὸ χοιροφορβεῖον* Suid.), quadam certe ratione illi loco homerico aptae sunt; *συβόσιον* armentum Callimachus intellexit, siquidem hic eodem sensu *βουβόσιον* scripsit, qua voce Aratus pascua boum notarat (v. 1120 *λειμῶνος . . . καὶ βουβοσίοιο*). — **51** Vocem *ἐπιμηλάδες* ipsa varia lectio tuetur, quam scholia praebent *μενεμηλάδες*, in qua iam Mauricius Schmidt, Hesychii glossa adhibita quae est *ἐμμηλάδας αἶγας· τὰς μετὰ τῶν προβάτων νεμομένας* (*γενομένας* codex), illud *ἐμμηλάδας* agnovit; quae tamen voces cum casu accusativo non recto positae sint, minus verisimile

[1]) Testimonia collegit Wernickius PW. I 878. Opportunitate data moneo Servium ad hunc versum scholium in hunc Callimachi locum, quem interpretamur, in suum usum convertisse: scribit enim: *Amphrysus fluvius est Thessaliae, circa quem Apollo, spoliatus divinitate ob occisos Cyclopas, Admeti regis pavisse armenta dicitur: unde eum nunc invocat; qui Nomius vocatur vel ἀπὸ τῆς νομῆς, id est a pascuis, vel ἀπὸ τῶν νόμων, id est a lege chordarum;* at Nomius a Vergilio non memoratur. Pariter moneo Probum ad hunc ipsum locum, cum Admetum Molossorum regem diceret, cum Admeto illo eum confudisse, qui Themistoclem hospitio excepit.

[2]) Qui versum *ξ* 101 scripsit, hunc Iliadis versum ante oculos habuit.

est eas ex hoc Callimachi loco, quem disceptamus, fluxisse quam ex alio poëta, qui fortasse Callimacho exemplo fuit. Callimachum *ἐπιμηλάδες* scripsisse mihi persuasum est: quod quid significet, ex ea voce elucet, quae in v. 53 sequitur, *ὔπαρνοι*. Nam, ut vv. 53 sq. optat ut oves ne sine lacte neve infecundae sint, sed suos quaeque fetus nutriat, subter se e mammis pendentes habeat, ita hoc loco sperat haedos capris non defuturos, sed eas quoque *ἐπιμηλάδας* fore, subter se habituras. Potuit scribere *οὐδέ κεν αἶγες δεύοιντο βρεφέων, πᾶσαι δέ κ' εἶεν ἐπιμηλάδες*; contraxit autem, ut varietati, ut solet, consuleret. *μῆλα* de caprarum alumnis fortasse ea de causa dixit, ut in scholio indicatur, quia Homerus *ι* 184 *μῆλα* quodvis pecoris genus appellasset (*μῆλ', ὄιές τε καὶ αἶγες*) vel quod idem ovium et caprarum alumnos *ἔμβρυα* vocasset (*ι* 245. 309. 342 *ὑπ' ἔμβρυον ἦκεν ἑκάστῃ*). Facile enim fieri potuit, ut grammatici alexandrini inde concluderent Homerum alumnorum aetates non discrevisse. — **53** *οἷες* quandoquidem scripsit, Callimachum ante Aristarchum Homeri *ι* 425 *ἄρσενες οἷες ἦσαν ἐυτρεφέες δασύμαλλοι* legisse iamdudum perspectum est: atque, quod, cum haec scriberet, illam de Cyclopis gregibus narrationem ante oculos habuit, nescio an vocis *ἐπιμηλάδες* interpretationi nostrae faveat. — **53** *ἄκυθος* lexicographorum testimoniis stabilitur: quod enim Hesychius 2702 *ἄκυτος· ἄτοκος στερίφη*, item Etymologicum Magnum 54, 53 *ἄκυτος* praebent, cave inde colligas vocem huius formae unquam fuisse. Nam ipsum Etymologicum et 55, 12 glossam *ἄκυθος· ἡ ἄγονος* ut exemplo muniat, hunc Callimachi locum praebet ea forma quam etiam nunc in codicibus legimus et 54, 53 Callimachum unam litteram mutasse ait et utrobique illam vocem, sive *ἄκυθος* sive *ἄκυτος* fuit, cum *κύω κυτός* coniungit. Hinc apparet illud *ἄκυτος* veriloqui gratia fictum esse. Methodius (Et. M. 55, 18) *ἄκυθον* „seminis, illius rei quae est *κύθος* expers" explicabat. *ἄκυθος* in Etymologico Genuino affertur, ut E. A. de Stefani testatur ad Gudiani p. 78, 1. Quae Et. M. 54, 54 de Callimachi errore in huius vocabuli usu admisso disseruntur, non intellego, nisi fortasse *δηλοῖ γὰρ ἡ λέξις ἐνεργητικὸν σημαινόμενον τὰς μὴ κυούσας* (*ταῖς μὴ κυούσαις* traditum) ita interpretandum est, quasi Etymologus contendat illud vocabulum a Callimacho significatione activa positum esse, quamquam adiectivum verbale in *-τός* exiens una significatione passiva praeditum esset. — **53** *ὔπαρνος* apud Euripidem legitur Androm. 577 *ὔπαρ-*

νος γάρ τις οἷς ἀπόλλυσαι (ubi *ὡς* traditur, *οἷς* e scholio *μετὰ τοῦ τέκνου ὡς ὕπαρνον πρόβατον* restituit Hartung), cum filio infanti scilicet; sed saepius antiquos poetas illa voce usos esse colligimus ex Hesychi glossa *ὕπαρνος ποίμνη· ἄρνας ἔχουσα*; illud enim *ὕπαρνος ποίμνη* neque apud Callimachum neque apud Euripidem legitur. Apollonii in lexico quod *ὕπαρνος· ἄρνας ἔχουσα ἐν τῇ γαστρί* legitur, nescio utrum ille ipsum Euripidis locum an *ἄρνας ἔχουσα*, quod vetustior grammaticus scripsisset, non intellexerit; unum spoponderim *ὕπαρνος* gravidam nunquam significasse. Etymologici Magni glossa *ὑπόρρηνον· ὕπαρνον* (782, 18) documento est illius nominis memoriam tanto recentiore aetate nondum evanuisse; neque enim explicatur, verum interpretamenti loco adhibetur. — **54** *διδυμητόκος* pro *διδυμοτόκος* ante Callimachum, Theocritum I 25, Philippum Thessalonicensem AP VI 99, 5 scripserat Hecataeus, si Stephano Byzantio s. v. *Ἀδρία* credimus; itaque haec vox ex exemplari epico manavit[1]).

Ab Apollinis artibus, quae nulli Graecorum ignotae essent, ad peculiare cognomen, quo Cyrenis invocabatur, Callimachum v. 47 transgressum esse iam adnotavimus: „Nos deum *Νόμιον* inde a Thessalica origine vocamus, is armenta nostra facile fecunda reddat.“ Mox vero simulat se ad dei artem quam nemo non noverit reverti; improviso tamen oratio ad aliud Apollinis cognomen deflectit, quod Apollinis Cyrenaei proprium est; deinde ad fabulam de Cyrenis conditis. Hic fere sententiarum conexus in hac carminis parte est: „Hominibus Apollo exemplo fuit, ut civitates conderent: neque enim solum conditis delectatur, verum etiam ipse suis manibus fundamenta iacit; etiam omnino artem aedificandi invenit, omnium antiquissima ara Deli exstructa. Civitatem vero meam non tantum condendi auctor fuit, sed ipse praesens conditori locum monstravit eiusque quae fata futura essent, vaticinatus est, neque ius iurandum violavit.“ Facile perspicitur eum qui recitat, quasi inscium et invitum ad laudes suae civitatis recidere; ipse, dum Phoebum urbium conditorem laudibus efferre incipit, quasi nescit se suum deum praedicare, tum improviso animadvertit nullam urbem Cyrenis rectius Apollinem conditorem invocare. Universa totius loci compositio talis est, ut vv. 55—65

[1]) Cfr. Solmsen, Untersuchungen zur griechischen Laut- und Verslehre 23.

ipsi per se stare et possint et videantur, sequentibus tamen inserviant.

Primis versibus tales *ἐπικλήσεις* spectat quales sunt *ἀρχηγέτης*, *ἀγήτωρ*, *ἡγεμών*, *οἰκέτης*, *οἰκιστής*, *κτίστης*. Atque Apollinem his nominibus multifariam apud Graecos invocatum esse novimus[1]). *Ἀρχηγέτου* cognomen ex his omnibus maxime unum pervulgatum est. Deli, ubi Apollo natus erat, consentaneum est eum illo nomine esse appellatum. Iam Pindarus Apollinem *ἀρχαγέταν Δάλου* dixisse videtur (fr. 140, 32 editionis Schröderi minoris). Ariston Acrisii filius poëta Phocensis a Deliorum civitate honoribus affectus est (BCH XIII 1889, 251), quod *παραγενόμενος εἰς τὴν νῆσον ἵμνησεν τὸν ἀρχηγέτην Ἀπόλλωνα καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς τοὺς κατέχοντας τὴν νῆσον καὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων*. Dedicationum illius in honorem tituli inventi sunt (BCH II 1878, 10 saepius). Saepe in templi rationibus, cum opera fabris adsignata recensentur, aedificium quoddam commemoratur variis nominibus ut *τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀρχηγέτου*, *τὸ τέμενος τοῦ Ἀρχηγέτου* vel brevius *ὁ Ἀρχηγέτης*. Exempla qui collegit Felix Dürrbach (BCH XXIX 1905, 455) dubitavit, utrum illud templum Apollinis sacrum fuisset, an herois potius, forsitan Anii: in titulo enim attico de Delo insula IG II 1, 778 A v. 6 *ἥρωος ἀρ[χ]η[γέ]του ἱερεῖ* legi. At ille titulus ita male mulcatus et mutilus est, ut inde vix quicquam certi colligi queat. Schulhofius vero (BCH XXXII 1908, 32), inde quod fere aedituus *τοῦ θεοῦ* idem salarium meruisset quam aedituus *τοῦ Ἀρχηγέτου* quodque nunquam *τοῦ Ἀρχηγέτου* templum in eodem documento quam *τοῦ θεοῦ* templum commemoraretur, conclusit *τὸν Ἀρχηγέτην* in omnibus his titulis Apollinem intellegendum esse. Prorsus incertum est quid credamus: namque alterum ex illis, quae Schulhofius attulit, argumentis falsum est: in uno enim titulo et templum dei et Archegetae templum recensentur. Inscriptionem dico XI 2, 287, hieropoeorum rationum laterculum; ubi A v. 98 Ctesias dicitur suscepisse *τὰς θύρας τοῦ ναοῦ τοῦ Ἀπόλλωνος ποιῆσαι*; tum sequenti versu Blepsias et Botrys narrantur item suscepisse *πλίνθους ποιῆσαι καὶ οἰκοδομῆσαι τὸν περίβολον τοῦ Ἀρχηγέτου*. Paucis versibus infra (v. 107) *ὁ Ἀρχηγέτης* denuo commemoratur; tum Nicias dicitur officium in se recepisse

[1]) Laterculos a Wernickio (PW. II, 44), Jessenio (ibd. II, 441), Gruppio (Griech. Myth. 1232 sqq.) compositos e titulis postea inventis pro virili parte supplere studui, ut ipse tamen sciam nonnulla me fugisse.

καὶ μέλαθρον ἐμβαλεῖν εἰς τὸν οἶκον τὸν ἐν τῶι Ἀρχηγέτει καὶ τῆς ὀροφῆς τὰ πεπονηκότα ἐπισκευάσαι. Qua demum ratione *ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ* et *ὁ Ἀρχηγέτης* ita inter se variant? At tamen fateor me non sine quadam dubitatione animum inducere posse Anio heroi satis obscuro a Deliis tantum honoris esse tributum, ut potius opiner praeter nobilissimum illud Apollinis Delii templum obscurius quoddam eiusdem dei nomine Archegetae fanum in illa insula fuisse[1]). Res vero prorsus incerta est. — Ut ab insulis ad Asiam transgrediamur, Erythris [*Ἀρ*]*χηγέτου* nomen inventum est GDI 5690, 349 B 6; nescio an Apollinis intellegere prorsus opus sit, cum complures di *Ἀρχηγέται* appellentur; atqui verisimile est haec ad Apollinem migrationis ionicae ducem pertinere[2]). In titulo Mytilenensi IG XII 2, 61, 15 pariter nomen *Ἀρχαγέτα* legimus, in quo tamen non iisdem indiciis commovemur, ut hunc esse Apollinem credamus. Cyzici in colonia Milesia illam religionem fuisse Aristides testatur in panegyrico in illam civitatem (XXVII, vol. II 126, 3 Keil), cum scribit *ταῖς μὲν ἄλλαις πόλεσιν ἐξηγητής ἐστιν, τῇ δὲ πόλει ταύτῃ καὶ ἀρχηγέτης· τὰς μὲν γὰρ ἄλλας πόλεις διὰ τῶν οἰκιστῶν ᾤκισεν, οὓς ἀπέστειλεν ἑκασταχόσε, ταύτης δὲ ἐκ τοῦ εὐθέος γέγονεν οἰκιστής*; nescio tamen utrum Aristides fabulam cyzicenam respexerit an potius (nam quae Keilius in apparatu comparavit, non ita apte huc facere videntur) ipse se Cyzici origines nosse simulet. Halicarnassenses quinto vel quarto saeculo crediderunt eos qui suam urbem condiderunt, Troezene coloniam *Ποσειδῶνι καὶ Ἀπόλλωνι* deduxisse, ut titulus (Syll.[3] 608) testatur altero vel primo a. Chr. n. saeculo

---

[1]) E testimoniis quae inde a Dürrbachii disputatione vel nova accesserunt vel in IG XI denuo repetita sunt, satis multis illis quidem, non multum lucramur: exempli causa affero IG XI 2, 144 A 28. 38; 147 A 10; 148, 64; 154 A 35; 155 B 2; 156 A 23; 158 A 5. 66; 159 A 42; 203 A 54. 61; 205 B 14; 219 A 13. BCH XXXII 1908, tabulae paginae 14 additae v. 28. 38; XXXIV 1910, 173, tabulae paginae 173 adiectae v. 34. 46. 49; XXXV 1911, tabulae paginae 243 adiectae v. 10. 22. Satis grave est quod 156 A 23 *τὰ πτώματα τὰ ἐν τῶι τοῦ Ἀρχηγέτου* commemorantur; his enim vocibus cum titulo quem supra disceptavimus XI 2, 287 collatis efficimus templum Apollinis Archegetae, quippe quod tertio ante Chr. n. saeculo iam fatisceret, satis antiqua aetate aedificatum esse: pariter grave quod 156 A 23 de *ἐσχαρῶνι*, quod esset *ἐν τῶι τεμένει τοῦ Ἀρχηγέτου*, verba fiunt; per illa enim verba de parvo sacello cogitare iam non licet.

[2]) Erythrum heroa intellexit Wilamowitzius, Nordionische Steine 28[1].

lapidi inscriptus, sed a multo vetustiore transcriptus. Atque etiam nunc dedicationem legimus satis antiquam (Lebas III 504) *τῶν στρατευσαμένων ἐν τῇ τετρήρει ναυαρχοῦντος Φιλάγρου τοῦ Δημητρίου καὶ τριηράρχου Ἀνδροσθένους τοῦ Ἀνδρωνος* Apollini Archegetae et Aesculapio factam. Sacerdotes illius dei titulis multo recentioribus nominantur (B C H IV 1880, 397, nr. 4; 401, nr. 12; 402, nr. 13; XIV 1890, 102)[1]). *Ἀρχηγέσια* feriae Halicarnassenses commemorantur in titulo Coo 105, 13. 16 Pat.-H. Myndi in oppido Cario titulus repertus est, in quo scriptum est *θεοῖς πατρῴοις καὶ Ἀπόλλωνι Ἀρχηγέτῃ* (B C H XII 1888, 281, nr. 6), aetatis romanae ille quidem et Traiani temporibus inferior: sacerdos enim M. Ulpius Traianus appellatur. Festa *Ἀπολλώνεια* sive *Ἀπολλωνίεια*, quae ibi facta esse didicimus e titulis Cois (104, 14; 105, 21), consentaneum est, in oppidulo praecipue, conditoris vel deductoris in honorem, non Apollinis, instituta esse. Etiam in civitatibus aetate demum hellenistica conditis illa religio viguit, ut Attaleae in Pamphylia aetate romana (B C H VII 1883, 263 nr. 5, v. 6–7; 265, nr. 6). Hierapoli ad Maeandrum fuit aetate recentissima certum collegium *οἱ σημιαφόροι*, id est ut arbitror vexillarii, *τοῦ Ἀρχηγέτου Ἀπόλλωνος* (Altertümer von Hierapolis nr. 153, 4); secundo vel tertio saeculo theatrum *Ἀπόλλωνι Ἀρχηγέτῃ καὶ τοῖς θεοῖς αὐτοκράτορσι* dicatum erat (nr. 4; cfr. nr. 2); nummis illius civitatis Apollinis imago et nomen *Ἀρχηγέτης* incudebatur (cfr. Head, hist. numm.[2] 676). Quin etiam in vico Phrygio, qui nunc a Turcis Oturak vocatur, quomodo vero olim vocatus sit prorsus ignoramus, titulus repertus est anni p. Chr. n. 315, in quo commemoratur religio *Φοίβου Ἀρχηγέτου Χρησμοδότου*[2]).

[1]) Cfr. quae de his titulis monuit Wilhelmius, Österr. Jahresh. VIII 1905, 238 sqq. — Multo plures titulos Halicarnassenses indicant Preller-Robert, Griech. Myth. I 257, 3, in quibus tamen deus nullo cognomine addito commemoretur. Sed Apollinem Halicarnassi aliis quoque cognominibus excultum esse, sunt indicia quibus comprobetur: ille enim Apollo, a quo exeunte V saeculo (B C H IV 1880, 295 sqq. = Syll. 211) complures cives multa, domus fundos, emerunt, cum *Ἀθηναίῃ* et *Παρθένῳ*, non cum Neptuno ut Archegetes (Syll. 608), consociabatur.

[2]) Tituli sententia mihi quidem non tam obscura videtur, quam ei qui illum edidit, Ramsayo (Cities and bishoprics of Phrygia I 2, 566, nr. 469b). *Ἀθάνατος Ἐπιτύγχανος Πίου* filius sacerdos a dis vaticinandi facultate honoratus est, ab illis vaticinium recepit; nescio an praeter vaticinium etiam *θαυματουργίαν*.

Chalcidenses Siciliae coloni Apollinem migrationis *ἀρχηγέτην* usque ab antiquissima aetate venerabantur: Thucydidis enim (VI 3. 1) temporibus Naxi in colonia, quae omnium una antiquissima sive fuit sive esse credebatur, extra moenia ara illius dei stabat, in qua theori, quotiescumque e Sicilia solverent, sacrificarent. Atque etiam tum anno 36 a. Chr. n. illius dei simulacrum stabat; ad illud enim Caesar Siciliae appulisse narratur ab Appiano bell. civ. V 109, 454 sq.

Dores pariter Peloponnesiaci illum deum religiosissime colebant; num ex Halicarnassi religionibus Troezene illum observatum esse concludere liceat, mihi sane dubium est: *Ἀρχηγέτης* enim Apollo Halicarnassi, quod coloniam Troezene deduxerat, idcirco vocabatur. In vico Epidaurio qui nunc vocatur Ligurio, ineunte III a. Chr. n. saeculo *Θιαρῆς Ἀπόλλωνι Ἀρχηγέται* dedicavit (IG IV 906). In Troade in Apollinis Sminthei templo tabula II a. Chr. n. saeculo pendebat, in qua honores quibus multae civitates Cassandrum Menesthei f. Alexandriae Troadis civem affecerant, recensebantur; e quibus *ἡ πόλις ἡ Μεγαρέων* eum *δάφνης σιεφάνῳ* donaverat *παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ τῆς πόλεως ἀρχηγέτου* (Syll.[3] 295 VI 3). Illum deum hoc nomine a Megarensibus cultum esse, etiam simulacrum *Ἀρχηγέτου* prope *Πυθίου* et *Δεκατηφόρου* stetisse testatur Pausanias I 42, 5; atque consentaneum est eundem hoc nomine a civibus invocatum esse, quorum moenia ipse Alcathoo Pelopis filio gratificatus aedificasset, ut narrant Theognis (v. 773), Megarensis ille quidem, Pausanias (I 42, 2 sqq.), multi alii. Num vero ipsis Cyrenis Apollo in re sacra facienda ita appellatus sit, mihi dubium est: quod enim Pindarus in carmine de Cyrenarum originibus, quod Callimachum hoc loco respexisse mox (ad vv. 69 sqq.) demonstrabimus, Pyth. V 60, cecinit Apollinem *ἀρχηγέτην* feras fugasse Batto minantes Cyrenas conditurο (*ὁ δ' ἀρχαγέτας ἔδωκ' Ἀπόλλων θῆρας αἰνῷ φόβῳ, ὄφρα μὴ ταμίᾳ Κυράνας ἀτελὴς γένοιτο μαντευμάτων*), inde concludere necesse est Apollinem coloniam deduxisse, non opus est concludere illam fuisse Cyrenis *ἐπίκλησιν* dei sollemnem, potuit enim pariter sive *κτίστας* sive *οἰκιστάς* sive *οἰκέτας* sive *ἀγήτωρ* appellari. Sane Apollinis *Ἀρχηγέτου* religionem nullam novimus neque Spartanam neque Theraeam.

In urbe vero dorica Peloponnesi Aeginae Pythaenetus historiarum scriptor, qui ante Athenaeum fuit, narrat (apud Pindari schol ad Nem. V 81 = IV p. 487 M.) mense Delphinio *Ἀπόλλωνι*

Οἰκιστῇ καὶ Δωματίτῃ sacrificatum esse. Spartae e titulis sane recentibus (CIG I 1446: *ἐφ. ἀρχ.* 1892, p. 19, nr. 2: p. 25, nr. 8, 2) novimus Claudios Pratolaos sacerdotes fuisse hereditarios *Καρνείου Βοικέτα καὶ Καρνείου Δρομαίου*; iam Pausaniae (III 13, 3) aetate istud *Οἰκέτας* quasi quoddam Carnei cognomen erat: quamquam non nescio *Ϝοικέταν* potius incolam quam conditorem dici [1]). Lacedaemonii vero fuit cum Apollinem ducem *Ἀγήτορα* vererentur: Hyperteleati enim in vico Laconiae lapis inventus est, in quo (Ann. of the British School at Athens XII 166, 13) quamquam non multa dispiciuntur, verba *Ἀπέλλωνι Ἀγήτορι Λατῶ*[*ι*] prorsus certa sunt: positus est ille titulus saeculo a. Chr. n. III. — *Ἡγήτορα* cum Carneo ab Argivis saepius confusum esse legimus in scholiis ad Theocr. V 83 [2]); Carnum enim ab illis et Iovem et *Ἡγήτορα* appellatum esse. Lacedaemonios autem Xenophon scripsit (rep. Lac. XIII 2/3) Iovem *Ἀγήτορα* religiosissime observare: nunquam enim regem e finibus Lacedaemoniorum egressum bellum inferre, quin *πυρφόρος* ignem ex ara illius dei portans comitetur et quam diligentissime, ne exstinguatur, curet. Proclivis coniectura est scholiastam Argivos cum Lacedaemoniis confudisse: quamquam negare non licet fieri potuisse ut omnes Dores Peloponnesiaci antiquom deum peculiarem *Ἀγήτορα* et cum Apolline et cum Iove confunderent. Confusionis cum Apolline Carneo documentum est Hesychii glossa *ἀγητής . . . ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερώμενος τοῦ* (*τῆς* traditur) *θεοῦ, καὶ ἡ ἑορτὴ ἀγητόρια*. Sacerdos enim eodem nomine vocabatur quo ipse deus. Religiones spartanae facillime Cyrenas propagari potuerunt; cognomen vero Apollinis *Ἀγήτορος* ad fabulam de illius civitatibus originibus optime quadrat [3]). Non eodem pertinet, quod iam saeculo V in civitatibus ionicis orae

[1]) Nescio an aetate romana, cum illis sacerdotiis aliisque quae recensere nihil attinet, unus fungeretur. plerique crediderint *Καρνεῖον Βοικέταν* deum domesticum, domus incolam, *Καρνείῳ Δρομαίῳ*, deo qui cursu delectaretur, opponi.

[2]) Haec non e Theopompo hausta sunt, cuius testimonium *ἡ ἱστορία παρὰ Θεοπόμπῳ* concluditur, sequitur aliud scholium *ὅτι τὸν αὐτόν* etc.

[3]) Eandem fuisse significationem nominis quod est *Προκαθηγεμών*, mihi certo persuasum est; Apollinis *Προκαθηγεμόνος* fuit Calymnae sacerdos aetate romana (BCH VIII 1884, 28). Sidymae in Lycia fuit item aetate imperatorum romanorum *ἱερεὺς καὶ προφήτης διὰ βίου τῶν Προηγετῶν θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος* (Benndorf et Niemann, Reise im südwestlichen Kleinasien I 69, nr. 45).

septentrionalis Ponti Euxini Apollo *Ἡγεμών* colebatur; ad septentrionem enim montis Caucasi phiala argentea inventa est, opus ionicum, cui inscriptum est *Ἀπόλλωνος Ἡγεμόνος εἰμὶ τὸ̃μ Φάσι*, ut recte Kieseritzky tradita distinxit (Arch. Anz. 1901, 56), hoc est *τοῦ ἐμ Φάσι*. — Eandem fuisse vocabuli *Ἀγρέτης* significationem, quo Chii (GDI 5666 *Ἀπόλλωνος Ἀγρέτεω*) deum invocabant, Hesychii glossa *ἀγρέταν· ἡγεμόνα θεόν* collata docuit Ernestus Fränkel (Glottae I 281, 1).

Κτίστας Cyrenis Apollo observatus esse non solum in titulo sane recentissimo CIG 5141 traditur, ubi L. Valerius Ariston *ἱερώμενος τοῦ Κτίστου Ἀπόλλωνος* appellatur; sed nuper documentum accessit multo vetustius: decreto enim cyrenaeo, quod Maximilianus Fränkel (Berliner Sitzungsber. 1903, 85) e Fourmontii schedis in lucem protulit, honores Phao Clearisti f. tribuuntur propter multa merita, inter quae et legati munus in bello Marmarico, quod Augusto imperatore fuit, enumeratur et Apollinis sacerdotium pie et munifice administratum. Neque enim facere possum quin illud (a 12) *παρ[λα]βών τε τὸν τῶ κτίστα τᾶς πόλεος ἁμῶν Ἀπόλλωνος στέφανον* ad tale officium quale in aliis civitatibus *στεφανηφόρος τοῦ θεοῦ* appellatur, referam, non cum Fränkelio ad coronam in Carneis reportatam; iste enim non adulescentulus fuit, sed vir aetate provectus, siquidem iam legationem gesserat. — Atque est illud cognomen satis rarum: Apolloniae vero una in colonia illyrica Corinthiorum nummi excusi sunt *Νέρωνι Ἀπόλλωνι Κτίστῃ* in honorem (Head h. n.[2] 314). Ne credamus Apolloniatas, quod assentandi studium illius saeculi fuit, Neronem *κτίστην* vocasse, tum cum deo suo Apolline Neronem *κτίστην* confudisse, epigrammate in donario olympico Apolloniatum inscripto prohibemur, quod Pausanias (V 22, 3) exscripsit: *μνάμαι' Ἀπολλωνίας ἀνακείμεθα, τὴν ἐνὶ πόντῳ Ἰονίῳ Φοῖβος ᾤκισ' ἀκερσεκόμας*. Apolloniatas credidisse suam urbem ab ipso deo conditam esse ipsum *Ἀπολλωνία* nomen docere poterat. Inde colligimus non Neronem conditorem ipsum appellatum sed cum Apolline conditore esse confusum.

Huiusmodi *ἐπικλήσεις*, eas potissimum quas cum in aliis civitatibus doricis tum Cyrenis in usu fuisse vel traditum legimus vel concludimus, Callimachus respicit easque ita explicare studet, quasi plerisque in civitatibus Apollo ea de causa conditor vocetur, quod et urbes primus dimensus sit et aedificandi artem primus

invenerit, unas tamen Cyrenas ipse condidisse iure dicatur: Batto enim uni illum praesentem urbis locum monstrasse.

55 sq. Sententiarum quae inter se *μέν-δέ* additis iugantur altera cum *Φοίβῳ δ' ἑσπόμενοι πόλιας διεμετρήσαντο ἄνθρωποι* coniungitur, non prior; quam loquendi consuetudinem aptis exemplis collatis explicavit Vahlen opusc. acad. I 315 sq.; hic enim locus ita fere intellegendus est: Phoebi exemplum secuti homines urbes dimensi sunt: ille enim non solum urbibus conditis delectatur, sed ipse fundamenta statuit, etiam primus iecit Ortygiae quattuor annos natus. — 57 Vocis *ὑφαίνειν* hac significatione positae exempla satis sunto quae in Thesauro collecta sunt; *λινθυφεῖς δόμους* illud aeschyleum Prometh. 450 contulit Schneider. — Et *πηγνύναι* et *ὑφαίνειν* et *πλέκειν* ea de causa Callimachus usurpavit, quod Apollo non saxorum neque laterculorum molem exstruxit, sed cornua callide conseruit, ut fundamenta solida e laxa lentaque materia fierent. — 61 *σῡνεχὲς αἰεί* ex *ι* 74 deprompsit; idem iam fecerat Aratus v. 20 *πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί*. — 64 De voce *ἐγείρειν* sufficiunt quae in Thesauro adnotata sunt; unum adiciam, ita prorsus illam vocem adhiberi in titulo illo lycio aetatis Hadrianeae Rhodiapoli invento, quo Opramoae liberalitates praedicantur (*τὸ ἱερὸν τῆς Ἐλευθέρας ἐγείρει* Heberdey, Opramoas p. 50, col. XIX A 11: cfr. quoque XIII D 9); ita prorsus etiam in titulo I p. Chr. n. saeculi Mantineae invento (Fougères, Mantinée 530, 35); *ἀνεγείρειν* vulgatum est. —

Iam ad fabulam aggrediamur. Phoebus quattuor annos natus prima fundamenta struxit. Fundamenta et aram et circum aram muros e cornibus conseruit, quae illi Diana soror capras[1]) in Cyntho cacumine delio venata portabat. Phoebus ita festine maturus repraesentatur, ut, cum omnes di in hoc carminum genere quo illorum *γοναί* narrantur, tum potissimum idem deus in hymno Apollinis homerico. Qui ubi primum natus est, sibi iura in citharam et in arcum sagittamque asseruit (v. 130 sqq.) atque Delphos festinavit, ut sibi oraculum adipisceretur (v. 182 sq.). Item

[1]) Ob capras *Κυνθιάδας* epigr. 63 exscripsit Suidas; ubi tamen illam vocem (in codice Anthologiae Palatinae *Κυνθίδες* traditur) corruptam esse conteudit Wilamowitzius, audacter ille quidem sed fortasse recte. Venator enim *Κυνθιάσι* animos facit; arma enim, quibus earum *ἐκένωσεν ὄρος μέγα*, iam Dianae Deli pendere. At illa aetate Delus templis aliisque aedificiis tam, ut ita dicam, obruta erat, ut nullus iam capris silvestribus locus esset.

ad ingenium dei festine maturum depingendum pertinet, quod Phoebus dicitur prima fundamenta aedificare didicisse: *ὣδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν.* Apollo puer divinae indolis ludendo artem discit, simul invenit, quae hominibus magno usui sit, ita ut Mercurius citharam iocando fabricatus est. — Neque casu factum est ut versus quibus fabula et introducitur et concluditur, 58 et 64, tam accurate inter se respondeant; initium enim tantum et exitus discrepant, reliqua concinunt: *τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξεν — ὣδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν.* Nam quae his versibus communia sunt, eadem fere in hymno Apollinis homerico bis leguntur, v. 254 = 294 *ὣς εἰπὼν διέθηκε θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων*, ubi ille deus templi fundamenta primi primum ad Telphusam fontem boeoticum tum Delphis iecisse narratur. Nonne inde concludendum est, Callimachum oratione ita composita id unum studuisse ut, qui legerent, illius carminis reminiscerentur atque sentirent ipsum adversus illud pugnare? Antiquitatem enim religionis deliae adversus Delphorum postulata tuetur, cum affirmat Phoebum non ubi primum natus esset, statim Telphusam, inde Delphos petivisse, ubi templa ipse aedificaret, sed Deli prima fundamenta iecisse, quae fuerunt fundamenta *τοῦ Κερατίνου βωμοῦ.*

Quem non unus Callimachus sed complures alii scriptores vel describunt vel certe leviter perstringunt, ut Ovidius Heroid. XXI 98, qui tamen fortasse Callimachi Cydippam exscripsit, Diogenes Laertius VIII 13, unus potissimum Plutarchus Thes. 21 et de soll. anim. 983e: Martialis spectac. 1, 4, ut Plutarchus altero loco, septem miraculorum in numero recenset. Fabulam e Callimacho deprompsit Besantinus Arae ionicae v. 9 sqq. Wil.; sed tale *αἴτιον* Deli narratum esse inde demonstratur, quod Plutarchus non apud Callimachum legere potuit aram e dextris cornibus exstructam esse (de soll. anim. p. 983e; eundem vero errasse, cum in Theseo affirmaret e sinistris aedificatam, iam perspexit Spannheimius). Neque igitur est, cur ei non credamus ipsum illam aram vidisse. Callimachus sine dubio e scriptore de antiquitatibus deliis illam fabellam deprompsit, atque nescio an non audacius sit suspicari eum illam primum in libris *Αἰτίων* narrasse, hic narrationem ipsum suam eorum qui legerent in mentem revocare voluisse.

Arae illius corneae locum invenisse sibi visus est Homollius (BCH VIII 1884, 417), cuius sententiae, cum initio diutissime

repugnarim, nunc adstipulor. Aedificium enim vel potius aedificii reliquiae effossae sunt, in his nonnullae pilae, quarum capitula taurorum genibus innixorum in figuram conformata sunt, et moles illius marmoris quod nunc ab Italis „granito" appellatur. Cum saepe in titulis deliis commemoretur operae satis grandem mercedem artificibus solutam aedificio cuidam, quod *Κερατών* vocatur, vel resarciendo vel expoliendo impensae cumque Plutarchus altero loco (Thes. 21) aram illam *τὸν Κερατῶνα βωμόν* appellaverit, inde Homollius concludit illi aedificio nomen *Κερατῶνι* fuisse: quod pilarum capita cornibus ornata fuerint, moles illas basin *τοῦ Κερατίνου βωμοῦ* fuisse. Aedificium vero quale fuisset, Nénotus architectus delineavit, ut aram illam non ante aedificium sub divo sed in conclavi postico fuisse indicaret, ubi illae moles inventae essent. Et Homollii disputatio et Nénoti delineatio mihi diutissime non omnino probari potuerunt. Plutarchi enim auctoritas mihi non tam gravis videbatur quam Homollio: nam ille quovis modo aram corneam et aedificium confudit; e documentis enim deliis[1]) satis apparet *τὸν Κερατῶνα* aedificium tectum fuisse satis magnum, cui expoliendo non parvus sumptus impenderetur. Si autem Plutarchus duo diversa in unum confuderit, quis iam spondeat non *Κεράτινον βωμόν* atque *Κερατῶνα* Deli ambos quidem sed diversis locis fuisse, illis nihil prorsus commune interfuisse? Accedit ut non illa una in terris capitula capitibus taurorum ornata sint, verum alia Persepoli in domibus regum Darii et Xerxis, opus fortasse Ionum artificum, alia Ephesi in aedificio I. a. Chr. n. saeculo exstructo: plura quisque antiquae artis peritus indicabit[2]), ut minime opus sit certam requirere causam, cur illa capitula in taurorum figuras formata sint. Praeterea, cum Callimachus aram e caprarum cornibus contextam narret, quo iure censemus taurorum capita eodem pertinere? Quae tanti ponderis erant, ut diu existimarem Homollium *Κερατῶνα* effodisse, aram vero illam

---

[1]) Quorum testimonia in Homollii disputatione diligenter et collecta et proposita sunt. Ex his quae nuper accesserunt (exempli causa nomino IG XI 2, 144 B 15. 33; 158 A 76; 161 A 101; 162 A 48; 199 A 36; 203, 47. 48; 204, 57; 205 b 20; 219 A 39; 271, 4; 287 A 66. 111) nihil fere novi didicimus, nisi quod tituli BCH XXXIV 1910, tabulae paginae 122 adiectae e v. 29 [*τὴν ὀρο*]*φὴν* [*τοῦ*] *Κερατῶνος* confirmatur illud aedificium tectum fuisse.

[2]) Cfr. imagines capitulorum Persicorum apud Springer-Michaelis, Kunstgeschichte I⁹, 205a, ephesiorum apud Wilberg, Österr. Jahresh. XII 1909, 102sq.

cornutam Francogallos adhuc fugisse. Atque multa alia dubitationem faciebant, num *ὁ Κερατών* revera templum fuisset; oecus enim ille, quem nunc Germani „Stierhalle" vocant, multo longior est quam latior; nec vero omnes illius aedificii partes ad libram sunt, ut iam fuerit qui suspicaretur in illo templo, si id templum appellare fas est, lacum sive lacunam hominum manu effossam fuisse. Quae utcumque fuerunt, nondum omnia explicata esse mordicus teneo. — Atque tamen in contrariam iam sententiam inclino, ut opiner *τὸν Κεράτινον βωμόν* illic fuisse ubi eum fuisse Nénotius indicavit, basin arae corneae lapideam vel certe eius vestigia a Gallis reperta esse. Nam ipse Callimachus testatur Apollinem muros illi arae circumdedisse, id est circum illam aram aetate hellenistica muros fuisse; id quod quamquam non est inauditum (ne enim longe exempla arcessam, ara Pacis Augustae muris cincta erat), est tamen quodammodo singulare. Cum illis vero Callimachi vocibus (v. 63) *κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους* optime concinit, quod Homollius et Nénotius aram muris conclusam esse e reliquiis demonstrarunt. Neque enim necesse est illos sequamur conicientes aram tectam fuisse; reliquias enim exiguas illas quidem tegularum marmorearum nihil impedit quin ad oeci tectum referamus, qui proprie „Stierhalle" dicitur, credamus vero *τὸν Κεράτινον βωμόν* post eum fuisse, muris cinctum illum quidem, sub divo tamen. Atque his suspicionibus Plutarchus favet, cum adfirmet (de soll. anim. 983 e) se aram admiratum esse, muros ne per transennam quidem tangit; at fecisset, si illi quoque non e marmore sed e cornibus exstructi fuissent. Non abhorret Callimachi auctoritas, qui non sine causa cautius loquitur: narrat enim ipsam aram de cornibus aedificatam, illis scilicet quae capris cynthiadibus interfectis Diana fratri adportasset, hoc unum de muris affirmat, Apollinem illos cornutos fundasse. Nisi fallor, variationi illi *δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους* consilium quoddam certum subest: capitula enim taurinis cornibus ornata intellegi vult.

Aedificium illud *ὁ Κερατών* quando aedificatum sit, iam novimus. Rectissime enim Lattermannus (Bauinschriften p. 64 sqq.) titulum atticum IG II 1054 g, quem ipse denuo collatum edidit, ad *Κερατῶνα* aedificandum rettulit; quo quam maxima cura cavetur ut exempla capitulorum integra atque incolumia Athenis Delum

vehantur. Illa Lattermanni coniectura hinc quoque confirmari potest, quod recentiore aetate in Demaris rationibus (Syll.[2] 588, 72), qui titulus Lattermannum fugit, *τύποι ξύλινοι κεραμίδων τῶν ἐπὶ τὸν Κερατῶνα* recensentur: pariter enim atque capitulorum exempla religiosissime servabantur. Ille vero titulus circiter annum 340, ut e litterarum formis apparet, lapidi insculptus est; unde consequitur *τὸν Κερατῶνα* eadem fere aetate aedificatum esse. — Non omnia sed multa ita explicari posse mihi persuasum est: fuisse Deli inde ab antiquissima aetate aram caprarum e cornibus exstructam, quam Apollo aedificasse diceretur; postea vero aliquanto post annum 340 Athenienses illi arae muros circumdedisse, ante aram oecum aedificasse. Tum vero narrari coeptum esse Apollinem non modo aram caprarum cornibus contexuisse, sed murorum cornutorum fundamenta iecisse. Nihil vero amplius Callimachus narrat, ipse nihil amplius distinguo, sive muri iam fuerunt antequam Athenienses oecum aedificarunt sive non fuerunt.

65 sqq. Sequitur: „Phoebus meam urbem Batto indicavit et Dores Libyam ingredientes corvi forma duxit et iuravit se nostris regibus moenia daturum, neque unquam Apollo iusiurandum violavit.“ Conexum huius loci cum praecedentibus satis superque explicavi. Tota verborum comprehensio singulari arte exaedificata est; id quod elucebit, si *ἔφρασεν* non „nuntiavit, promisit“ vertes, quae notio nullius fere usus est, cum statim *ὤμοσεν* simili sensu vocabulum sequatur, sed cum Carolo Meister (apud Malten. p. 50, adn. 1) „ostendit, monstravit“. Inde enim consequitur, ut quoddam *ὕστερον πρότερον*, ut illam figuram appellant, agnoscamus, hoc loco id quidem elegantissimum. Nam Apollo dicitur locum urbi statuendae ipse digito intento Batto monstrasse, postquam idem corvi figura illi dextra apparuisset illiusque populum Libyam ingredientem duxisset: tum id subiungitur quod Callimachi maxime intererat, Apollinem promisisse se regibus cyrenaeis illa moenia daturum. Iam polysyndeton interrumpitur: singularis Apollinis fides alia particula adhibita adiungitur. Illud igitur quod est *καὶ Λιβύην εἰσιόντι κόραξ ἡγήσατο λαῷ δεξιὸς οἰκιστῆρι* temporum nulla ratione habita quasi parentheseos loco inter duas sententias, quae inter se cohaerent, interponitur. Eodem pertinet quod *κόραξ*, quod vocabulum Apollinis appositio est, in altero tantum membro commemoratur, ad quod unum referendum sit: iuravit enim sine dubio Apollo propria, non corvi forma; eodem quod corvus non

Βάττῳ dexter apparuisse dicitur, sed *οἰκιστῆρι* alia voce usurpata atque in primo membro. — 67 Verborum aedificium prudentissime ponderatum ille destruet, qui cum Iohanne Vahlen (p. 814) *οἰκιστῆρι* cum *λαῷ* coniunctum „Ansiedlervolk“ interpretabitur. Haec vero interpretatio facillima est ad refutandum. Neque enim casu factum esse iudico ut idem Battus et a Pindaro in carmine quod Callimachus perpetuo in hoc hymno respicit, Pyth. IV 6, et in oraculo a Pythia Batto reddito, quod Herodotus narrationi de Cyrenarum originibus inseruit (IV 155), *οἰκιστήρ* diceretur. Namque ut Pindaro illa forma et legitima est et saepius usitata (cfr. enim Ol. VII 30, Pyth. I 31; voce *συνοικιστήρ* utitur Ol. VI 6, fr. 186, 1), ita in dialecto ionico-attica prorsus inaudita. Recte enim apud Aeschylum Sept. 19 *οἰκητῆρας* scribi mihi certe persuasum est: Eteocles enim praedicat Terram iuvenes eduxisse qui arma pro se ferrent: *ἡ γὰρ νέους ἔρποντας εὐμενεῖ πέδῳ . . ἐθρέψατ' οἰκητῆρας ἀσπιδηφόρους, πιστοὺς ὅπου γένοισθε πρὸς χρέος τόδε.* Si illam vocis *πιστούς* prolepsin omittimus, reliqua perspicua: „incolas armis aptos“ dicit, non „conditores“. Recte autem Ernestus Fränkel[1]) monuit apud Ionas ex illis tantum verbis in *-ίζειν* exeuntibus quae a radice in *-ιδ* exeunte rursus derivata sint, nomina agentis in *-τήρ* exeuntia repeti. Cur igitur illam formam, qui oraculum ementitus est, usurpavit? Equidem existimo eum Cyrenarum conditorem ita appellasse, ut Cyrenaeorum in religionibus appellabatur. Huic suspicioni nescio an Pindari consuetudo scribendi faveat, qui illud vocabulum ad conditores civitatum doricarum tantum refert, Rhodi, Aetnarum, Syracusarum, scilicet ad usum illarum sollemnem se applicat. — 68 „Reges nostros“ is qui fingit se in templo cyrenaeo (id quod infra ad v. 80 sqq. pluribus confirmaturus sum) unum de turba Cyrenaeorum loqui, non alios voluit nisi Cyrenarum reges. Atque, cum Battus I septimo iam anno Aziri Cyrenas migrarit (cfr. Herod. IV 158), numerus pluralis non inde repeti poterit, quod Apollo Cyrenarum moenia non ipsi Batto sed illis qui post eum reges fuerunt concesserit. At potius intellegendum est illum deum Cyrenas tum illis regibus promisisse, qui Callimachi aetate Cyrenas regerent, hincque concludendum illis demum temporibus vel

[1]) Griechische nomina agentis I 108 sq.; 153. Hic mihi locos suppeditavit; de Aeschyli vero versu, pariter de oraculo non recte iudicasse videtur.

paullo ante Cyrenas in illorum regum potestatem, quos Callimachus „nostros“ dixit, redactas esse. Qui vero secus interpretabitur[1]), frustra quaeret, cur tanto pondere Callimachus summam Apollinis fidem presserit, qui tamen iam tot saeculis ante Battiadis illam urbem concessisset. Fieri autem non potuit ut Callimachum fugeret omnes qui hunc versum legerent, versuum 25/26 recordaturos. Inde efficitur eum etiam voluisse, qui legerent, illius loci reminisci. Haec in praesentia non premo, pluribus disceptabo, cum de huius carminis temporibus disseram. De fabula Batti in altero capite disseram. Corvum Apollinis sacrum esse non est cur moneamus, cum constet inter omnes. Corvus vero ab Apolline missus colonias duxisse saepius narratur[2]). In scholiis ad Aristophanis Nub. v. 133 Boeotis a Thracibus pulsis Apollinis oraculum respondisse dicitur, ut ibi consisterent, ubi albos corvos vidissent; illos vero ad sinum Pagasaeum, ubi tales corvos circumvolitantes conspexissent, habitare constituisse[3]). Atque fuit certus locus corvis in ipsa fabula de Cyrenarum originibus: quod enim Callisthenes ementitus est duos corvos Alexandrum itinere deerrantem ad Ammonis oraculum duxisse (apud Strabonem XVII 814, p. 1135, 8 M), hoc mendacium aegre aliunde repeti potest, nisi e certo illius scriptoris consilio, ut Alexander ad templum cyrenaeum ab eadem avi duceretur, a qua Cyrenas Battus qui illas primus condidisset. Heraclides vero qui dicitur, cum in Civitatibus narret (FHG II 212, 4) album corvum, ut oraculum praedixerat, Arcesilao regnante apparuisse qui Batti filii[4]) exsilium significaret, quid aliud qui hanc fabulam composuit, voluit nisi docere Apollinem, qui corvo misso Battum in Libyam duxisset, corvo rursus misso Battiadarum fugam quodammodo vaticinatum esse? Apparet Calli-

---

[1]) Secus enim interpretatus est Iohannes Vahlen p. 814 sqq.; ante eum Gerckius, Rh. Mus. XLIV 1899, 253; Maaßius, Herm. XXV 1890, 410 sq. Nostrae opinioni propius accedit Maltenius, quem tamen non omnino sequor.

[2]) Exempla iam collegerat Maltenius (p. 46), non ita tamen illis usus ut ego.

[3]) *οἱ δ' ἐν Θεσσαλίᾳ εἶδον περιιπταμένους τοὺς τοῦ Ἀπόλλωνος ἱεροὺς κόρακας οὓς παῖδες ἀφῆκαν γυψώσαντες ὑπὸ μέθης.* Qui haec leget, statim perspiciet extrema a tali ficta esse qui iam dis remotis omnia e ratione vel e fortuna repeteret. Is eiusmodi narrationes ante oculos habuit, quales Ergias, si nomen sanum, et Polyzelus in libris *Ῥοδιακοῖς* praebuerunt (cfr. Athen. VII 360 d sqq.).

[4]) Nihil nostra interest, confuderitne Heraclides hunc Battum cum Arcesilao postremo Cyrenarum rege, ut suspicatus est Eduardus Meyer (PW. III 148).

machum haec e fabula de Cyrenarum originibus repetivisse. De qua mox disputaturus in praesentia satis habeo effecisse in illa fabula corvum album commemoratum esse.

Atque ex Heraclidis fabula (Callisthenes enim vel qui eum excerpsit Strabo de colore tacet) hoc satis superque demonstratur; Cyrenaeos enim consentaneum est credidisse eandem avem ab Apolline missam, ut ad urbem condendam Battum duceret atque ut Battiadarum fugam et interitum nuntiaret. Atque nescio an aliud argumentum praesto sit: in Magnesiae ad Maeandrum historia, cuius folium titulo servatur, qui a Kernio nr. 17 insignitus est, Magnetes narrantur, postquam a Thessalia discessissent, aliquantum temporis in Creta commorati esse, dum corvi albi apparerent, quos vaticinium pollicitum esset; tum vero Delphos misisse qui deum rogarent, nonne sibi domum redire liceret; illum autem eos monuisse, ut ad Asiam pergerent. Recentissima utique illa historia est, altero fortasse demum a. Chr. n. saeculo composita[1]); oracula contra paullo vetustiora, quae cum historia non omnino concinunt; in hac enim albi corvi vel leguntur vel v. 12 certo supplentur; in vaticinio contra unus corvus commemorabatur (v. 17 *οἰωνὸμ πτερύγεσσι σὺν ἀργεννῆισιν ἰδόντες ἐγ μέλανος*)[2]). Nonne verisimile est album corvum in vetustiore fabulae forma non tantum nuntii sed etiam ducis partes explevisse? Haec fabula fabulae de Cyrenarum originibus similior est quam ovum ovo; Battus enim primum in insula aliquantum commoratus, tum Apollinis oraculo adito monitus est, ut in Libyam transgrederetur. In fabula sane herodotea, qui cum Batto insulam habitabant, idcirco Apollinis oraculum qui rogarent, miserunt, quod *οὐδέν σφι χρηστὸν συνεφέρετο* (IV 157); sed apud Herodotum nullus corvo locus est; in ea fabula quam Callimachus sequitur, necesse est fuisse huius avis partes. Quid, si fabula Magnesia collata statuamus corvum album Theraeis insulam incolentibus apparuisse eosque in Libyam ad Cyrenas condendas duxisse[3])? Sed coniecturam premere nolo;

[1]) Cfr. Wilamowitz, Herm. XXX 1895, 188 sqq.

[2]) Scio *οἰωνόν* augurium significare potuisse; sed hoc vocabulum incaute eo loco usurpatum esset, ubi duo vel plures corvi commemorantur.

[3]) Equidem arbitror, qui fabulam de Magnesiae originibus primus ementitus est, fabulam cyrenensem secutum esse. Cum autem ipse concedam hoc demonstrari non posse, tum existimo illas similitudines ipsas satis esse ad id quod volumus demonstrandum.

corvum contra in fabula quam Callimachus respicit, album fuisse demonstratum esse spero [1]).

Callimachus usque adhuc cum piorum turba collocutus nunc ad ipsum deum se convertit. Professus erat Apollinem urbium condendarum artem ara delia exstructa quasi invenisse, unam tamen ipsum urbem ei qui illam conditurus erat monstrasse, Cyrenas. Nunc pergit: „Te, Apollo, omnino multis nominibus appellant, ego vero nomine quod mihi patrium est, Carneo. Te enim, Carnee, is qui urbem condidit, Battus, ita Thera Cyrenas portavit, ut ille qui Theram condidit, Lacedaemone e templo tuo primo Theram portarat, tibique et templum et annua sacra hic constituit." Templum vult in quo loquitur, sacrum quod tum fit. Ubi primum haec pronuntiavit, adulescentes *ἰὴ ἰὴ Καρνεῖε* invocantes audit: ipse cum adulescentibus deum invocat, sacrum describit, illius *αἴτιον* narrat. Simulatque illum non iam de Apolline cum turba loquentem sed ipsum deum compellantem audivimus, ad carminis umbilicum nos pervenisse sentimus.

69 sqq. Initio haeremus, quo iure Callimachus dicat multos illum deum *Βοηδρόμιον* vocare, multos *Κλάριον*: neutrum enim horum cognominum pervulgatum fuisse ex ipsis mentionibus demonstrari potest. Praeterquam enim quod Boedromii Apollinis fuisse religionem atticam e feriis *Βοηδρομίοις* sive ipsi concludimus sive ab antiquis grammaticis conclusum [2]) legimus, illum deum Thebis observatum esse Pausanias testatur IX 17, 2. Sed

---

[1]) Corvus in Hesiodi Eoeis narrabatur (fr. 148 Rz.) Apollinem certiorem fecisse Coronida puellam ab eo amatam fide rupta Ischyi nupsisse.

[2]) Propterea caute loquor, quod mihi persuasum est nullum primitus in illis feriis Apollini locum fuisse. Alii enim, ut Plutarchus Thes. 27, Macrobius sat. I 17, 18, narrant Apollinem ea de causa *Βοηδρόμιον* appellatum esse, quod Theseus adversus Amazonas pugnaturus illum eo nomine, ut oraculum monuerat, invocasset vel illi sacrificasset. Non igitur deus praesens Atheniensibus pugnantibus opitulatus est, verum Apollo Thesei precibus victoriam, ut ita dicam, absens concessit; id quod recentem originem redolet. Philochorus autem (FHG I 389 fr. 33, apud Harpocr. s. v. *Βοηδρόμια*) credidit hoc festum idcirco institutum esse, quod Ion Xuthi filius Atheniensibus cum Eumolpo, Eleusiniorum scilicet rege, dimicantibus succurrisset; eadem fere praebent Etym. M. s. v. *βοηδρομεῖν* (202, 42), Suidas s. v. *Βοηδρόμια*, nisi quod pro Ione Xuthum patrem substituunt. Idem Etymologicum s. v. *Βοηδρομιών* (202, 50) Apollinem bello inter Athenienses et Eleusinios ita inculcare invito studet, quasi ex exercitus ululatu ille *Βοηδρομιών* appellatus sit; quod ineptum est. Ut rem paucis verbis ab-

talia mensium nomina qualia sunt *Βοηδρομιών*, *Βοηδρόμιος*, *Βατρόμιος*, demonstrant aetatem fuisse, cum haec religio multo latius pateret[1]). Mensem atticum *Βοηδρομιῶνα* nemo est quin norit, sed mensis eiusdem nominis fuit Olbiae in colonia Milesia saeculo II—III p. Chr. n. (Inscr. Ponti Euxini I 22 Lat. = CIG 2059, 6); fuit item apud Prienenses, quorum tituli plura testimonia praebent quam ut hoc loco enotem (collegit Hiller de Gärtringen ad calcem collectionis suae p. 256); apud Parios (IG XII 5, 471, 30)[2]); apud Perinthios (lib. Gloss. V 172, 17 Götz); apud Amorginos (IG XII 7, 60, 1), nisi quod [*Βοη*]*δρομιῶνο*[ς] hoc loco supplemento continetur. Sed constat in nulla civitate[3]) ionica aliam formam inveniri nisi Lampsaci in Phocaeensium colonia, ubi ille mensis *Βαδρομιών* appellatus est (CIG 3641 b 8), ut dubitari non possit quin illud supplementum prudenter excogitatum sit. Dores contra illum mensem sive *Βαδρόμιον* appellabant, ut Rhodios fecisse titulus monumento Eudemi Seleucensis inscriptus (Wilhelm-Heberdey, Reisen in Kilikien [Wiener Denkschriften XLIV 1896] p. 109), sescentae amphorae testantur[4]), Cnidios inscriptio Cnidia (Newton, Halicarnass II 758 p. 44, nr. 3 *μη*[*νὸς Βα*]*δρομίω*); sive *Βατρόμιον*, ut Calymnii (Syll. 512, 26). Coi autem illum tum *Βαδρόμιον* (29, 18 Pat.), tum *Βατρόμιον* dixerunt (Syll. 598 = 27 Pat., 1. 8. 12; Syll. 617 = 39 Pat., 12). Apparet illam formam Lampsacenam quae est *Βαδρομιών* ex Ionum *Βοηδρομιών* et

---

solvam, apparet vel nullum certum deum vel deum singularem *Βοηδρόμιον* in illo festo invocatum esse: qua de causa grammaticis opus fuisse quaerere, cuius in honorem institutum esset. Constat enim iam inter omnes, ritus saepe antea institutos quam certa deorum nomina excogitata: cfr. quae docuit Deubner, N. Jahrb. 1911, 330.

[1]) Kubitschekii laterculum (PW. III 595) ipse, ut soleo, e titulis nuper repertis, qui quidem mihi praesto essent, supplere studui.

[2]) Paro enim Oliarum lapidem illum deportatum esse Hiller de Gärtringen recte statuisse videtur.

[3]) Confiteor nomina theophora, quibus tamen minus tribuo, non omnino concinere; e quattuor enim nominis *Βαδρόμιος* exemplis, quae Sittig (de nominibus theophoris 56) collegit, tria Ephesia sunt, unum Smyrnaeum.

[4]) Testimonia ex amphoris nunc et collegit et disceptavit in actis academiae Danicae a. 1909 Nilsson; cfr. pp. 127. 131, item Hilleri testimonia IG XII 1, p. 237. Theognidem Rhodium (apud Athen. VIII 368 b c) mensem *Βοηδρομιῶνα* Rhodiis inculcantem nihil moramur; cum enim *χελιδονισμόν* Rhodi mense Boëdromione fieri communi lingua narret, consentaneum est illum mensis nomine ionico-attico, non dorico uti.

Dorum *Βαδρόμιος* contaminatam esse. Similem Delphorum religionem praestat mensis Delphicus *Βοάθοος* sive *Βοαθόιος*[1]). — Apollinis Clarii religio minus late patuisse videtur: aliud enim est illius dei templum et oraculum Clarium in agro Colophonio positum apud omnes gentes, maxime vero apud Romanos imperatorum aetate summa auctoritate viguisse[2]), aliud multas civitates suum deum *Ἀπόλλωνα Κλάριον* appellasse. Illud libenter concedimus, hoc facile esse ad demonstrandum negamus. Illuc enim, non huc pertinet, quod *τὰ Κλάρια* iam hellenistica aetate ineunte civis Atheniensis epigrammate in patria Cecropia posito obscuro illo quidem (IG II 1311) se vicisse gloriatus est[3]): illuc, quod Smyrnaei Alexandri aetate Apollinem Clarium consuluerunt, sibi liceretne sedes mutare Alexandri imperio obtemperantibus (cfr. Pausan. VII 5, 3): illuc pariter, quod Tacitus narrat Germanicum (Ann. II 54) oraculum Clarium adiisse, Agrippinam idem (Ann. XII 22)

[1]) Apollo contra *Βοάσων* num usquam unquam fuerit, me vehementer dubitare fateor. Maximilianus enim Fränkel ranae aeneae antiquarii regii Berolinensis antiquis litteris *Αμον Σονοου Βοασονι*, id est *Ἄμων Σωνόου Βοάσωνι* inscriptum cum legisse sibi visus esset (IG IV 357), e litterarum formis et e diphthongo *ov* in tam antiquo titulo mira conclusit ranam a Corinthiis dedicatam esse, *Βοάσωνα* Apollinem Auxiliatorem fuisse statuit. At, ut mittamus de *B* in nomine *Βοάσωνι* minime constare, ipsum autem Fränkelium aliquatenus certe concedere nihil obstare, quominus hunc titulum pari iure ad Sicyona vel ad Phliunta referamus, ut id mittamus, quo iure *Βοάσων* „opitulatorem, auxiliatorem“ explicat? Nam, quod Usener demonstravit *βοήν* saepe idem fere valuisse atque auxilium, inde non consequitur, ut *βοᾶν* auxiliari significaverit, non tantum clamare, quiritari, auxilium petere. Accedit ut, etiamsi quis concesserit *Βοάσωνα* nomen recte formatum dei auxiliatoris fuisse, nondum demonstratum sit tam antiqua iam aetate *Βοάσωνα* potius Apollinem dictum esse quam deum singularem, qui nondum cum Apolline coaluisset. Huic iudicio etiam quae supra (p. 42, adn. 2) de Boedromiis atticis exposui nescio an faveant. Unum rursus moneo, nondum constare deum *Βοάσωνα* unquam in terris fuisse.

[2]) Testimonia collegerunt Buresch libello illius oraculi cognomini (paginis praecipue 29 sq.); Wernickius (PW. II 54 sqq.), qui multa enumerat; quae tamen nos distinguere studemus, permiscet atque confundit. Ego pauca addidi quae sive illos fugerunt sive nondum innotuerant; plura de sacerdotiis Clariis quaesivi in disputatione de ambobus Nicandris (Studi ital. di fil. class. XX 79 sqq.).

[3]) *Τὰ Κλάρια* item commemorantur in titulo Coo Syll. 678 (= 105 Paton), 12 *Κλάρια ἐν Κολοφῶνι*. Colophonii decreta sua in templo Clario incidenda, feriis Clariis a praecone legenda curabant, ut e titulo apparet Prienae invento saeculi a. Chr. n. III, 57, 5 Hill. *τοῖς δὲ Κλαρίοις* [*τοῖς μεγάλοις καὶ τοῖς*] *Τονείοις*; 7 *εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Κλαρίου*. Atque tituli Colophonii Clari inventi sunt: cfr. dissertationis meae, quam supra attuli, p. 82.

adversus Lolliam aemulam instigasse[1]); illuc, quod responsum altero p. Chr. n. saeculo Trocettanis civitatis Lydiae incolis datum ibi inventum est[2]). Singularem illius templi auctoritatem numerus et nomina civitatum praestant, quas vel chorum vel qui oraculum consulerent illuc misisse tituli alterius p. Chr. n. saeculi a Macridy ibi inventi et editi testantur (Österr. Jahresh. VIII 1905, potissimum p. 171; XV 1912, 46 sqq., potissimum 56); item tituli latini legionum romanarum tres, omnes iisdem verbis concepti, quorum alius Borcovici in Britannia (CIL VII 633), alius in Africa in vico Cabiliae (CIL VIII 8351), alius Carini in Dalmatia (CIL III 2880) positus est: in omnibus legitur *dis deabusque secundum interpretationem Clarii Apollinis*; quibus commovemur, ut credamus legiones romanas complures oraculum Clarium de prodigio quodam singulari interrogasse, responsum esse ut omnibus dis deabusque aram statuerent[3]).

Perpauca contra testimonia supersunt quibus comprobetur Apollinem illo cognomine praeter Colophona in aliis regionibus invocatum, Clario aras constitutas esse. Corinthi Pausanias vidit (II 2, 8) Apollinem aeneum *ἐπίκλησιν Κλάριον*. Templi Apollinis Clarii, quod fuit Sagalassi in oppido Pisidiae, titulus dedicatorius servatus est (Lanckoroński—Petersen—Niemann, Städte Pamphyliens und Pisidiens II p. 226, nr. 200 = Inscr. Graecae ad res Romanas pert. III 342), qui testatur illud [*ἐπὶ Κορνηλίου*] *Πρόκλου τοῦ σεμνοτάτου ἡγεμόνο*[*ς*] consecratum esse, circa annos 140—142 p. Chr. n. Eiusdem fere aetatis reliquae eiusdem civitatis inscriptiones videntur, in quibus *ἀγῶνες Κλάρειοι* ibi habiti commemorantur (Lanckoroński II nr. 195 = Inscr. Graecae ad res Romanas pert. III 361; Lanckoroński II 201, 3; 202, 8). Atque, quod saepius Philippiani Vari *ἀγωνοθέται διὰ βίου ἀγώνων Κλαρείων* in his titulis dicuntur (Lanckoroński II 195, 2; 202, 13), quod T. Fl.

---

[1]) Recte enim Bureschius, *oraculum* cum scriptum feratur *interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum*, emendasse videtur (p. 39. adn. 3).

[2]) Ille titulus denuo post Bureschium editus est a Josepho Keil et Antonio de Premerstein (Erster Reisebericht aus Lydien [= Wiener Denkschr. 53], nr. 16). Quam pestilentiam Apollo removisse praedicetur, ambigitur (cfr. Keil et Premerstein, p. 10); non de maiore tamen spatio litigatur quam de decenniis.

[3]) Aliud testimonium, cum minus notum videatur, hoc loco repeto: Noviseli in Bulgaria titulus inventus est mutilus aetatis romanae, quo *Ἀνχιαλεῖς* nescio quid [*κατὰ χρη*]*ζμοὺς τοῦ*[*ς Ἀπόλλ*]*ωνος Κολοφω*[*νίου*] se posuisse testantur (Arch.-ep. Mitteil. X 1886, 148).

Varus in templum marmore incrustandum, ut titulus dedicatorius testatur (v. 3 *τὴν δὲ σκούτλωσιν τῶν τοίχων τοῦ ναοῦ ὁ αὐτὸς Φλ. Κολλίγας καὶ Τ. Φλ.* [*Οὐ*]*ᾶρος*), pecuniam impendit, quod denique in titulis 195 et 201 *ἀγῶνες Κλάρειοι* et *Οὐάρειοι* vel *Ῥοδώνειοι Οὐάρειοι* consociantur, inde fortasse concludere licebit Varorum gentem hanc religionem Sagalassi instituisse. Eadem fere aetate Sagalassenses chorum Colophona ad templum Clarium misisse docuit titulus Oesterr. Jahresh. VIII 1905, 166 editus (nr. III 3, v. 1 sqq.): in *μολπῶν* numero Diomedem Rhodonis filium fuisse legimus, nescio an Rhodonis Vari, a quo *ἀγῶνες Ῥοδώνειοι Οὐάρειοι* conditi sint. Atque fortasse suspicio non inepta erit, eodem tempore chorum missum atque Clarii religionem Sagalassi institutam: item nonnullas certe e reliquis civitatibus, quas chorum misisse in illis lapidibus legimus, eadem fere aetate templum Apollinis Clarii vel ludos Clarios instituisse. Unum constat, altero demum p. Chr. n. saeculo Apollinis Clarii religionem Sagalassum propagatam esse. Atque id, quod de Sagalasso asseveramus, nescio an ad totam Pisidiam pertineat; Isindae enim ab Arthurio Woodward dedicatio inventa est (Ann. of the School of Athens XVI 113, nr. 4), quam *οἱ συστεφανω*[*θέντε*]*ς ἀγῶνα Κλάρι*[*ον π*]*εντα*[*ε*]*τηρικόν* posuerunt. Tituli aetatem satis recentem litterae *ω* forma uncialis arguit; qui *ἀγωνοθετεῖ*, Apollinis sacerdos *διὰ βίου* dicitur. Crediderim eadem fere aetate hos ludos Isindae ac Sagalassi institutos esse. Paullo vetustior titulus Atticus videtur anaglypho inscriptus, quo Apollo cum cithara et plectro repraesentatur IG III 175 *Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως Προστατηρί*[*ου*] *Πατρῴου Πυθίου Κλαρίου Παιωνίου*. At multitudo cognominum hominis studium prodit, qui quam plurimas *ἐπικλήσεις* inter se abhorrentes coniungere optaverit; atque nescio an hoc oraculi cuiusdam consilio fecerit: Clarium enim certe syncretismo, ut aiunt, favisse tituli legionum, quos supra (p. 45) perstrinximus, demonstrant. Nomen ephebi pergameni *Κλάριος*, qui fuit aetate satis incerta sed romana superiore (Athen. Mitt. XXII 1907, 462, nr. 390) nihil aliud docet nisi patrem filium in Apollinis Colophonii tutela posuisse; idem docet nomen *Κλαρι-* in titulo Erythraeo circa annum 300 a. Chr. exarato (Wilamowitz, Nordionische Steine p. 20, adn. 1)[1]: de religionibus contra illarum civitatum nihil inde

[1]) Contra nomen *Κλᾶρος* (*Κλᾶρος Κλάρου Αἰξωνεύς* in titulo Attico Samothraciae reperto annorum 160—180 p. Chr. n.; *Καιλλήριος Κλᾶρος* in titulo

lucramur. — Decretum vero *ἐπὶ πρυτάνεως Κλ. Μοδέστου μηνὸς Κλαρεῶνος δ̄* datum, quod inter titulos Magnesios a Kernio nr. 114 insignitum est, cum iam constet (cfr. Wilamowitz GGA 1900, 570) illud ad Magnesiam omnino referri non posse (nam nomina et seriem mensium Magnesiorum diversa esse, pariter eponymi titulum, qui *στεφανηφόρος*, non *πρύτανις* dictus sit), nescio an inscriptio colophonia sit: apud Colophonios enim eponymi illo nomine appellabantur. Atqui confido fore ut tituli innotescant, quibus comprobetur Clarii religionem latius patuisse quam e documentis, quae quidem exstent, effici possit; tantum Callimachi auctoritati in istiusmodi rebus tribuo.

70 *πάντῃ* „omnino" significare, *πολύ* sensu collectivo intellegendum esse, perspexit Ianius p. 102 sqq.: *πολυωνυμίαν* enim hoc loco respici; ipse fr. 115 *ἔρχεται πολὺς μὲν Λίγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου ἀμφορεύς, πολὺς δὲ Λεσβίης ἄωτον νέκταρ οἰνάνθης ἄγων* et 121 *πουλὺ-ἔτος* contulit. Vocabuli *πάντῃ* usus nullo exemplo indiget.

71 sqq. Callimachus Apollinem Carneum illum deum vocat: sibi enim patrium esse ita facere. Carnei religionem apud omnes Dores floruisse inde vere concludere videmur, quod de tot civitatibus testimonia supersunt[1]); quo tamen iure ipse potissimum

---

Cleonensi IG IV 490, *Φλάουιος Κλᾶρος* in Thespiensi IG VII 1772; *Κλᾶρος* Heraclidis Thiani pater in Amiseno, Anderson-Cumont-Grégoire, Studia pontica III 7a) cognomen romanum „Clarus" est. — Tribus tegeatica *Κλαρεᾶτις* (Paus. VIII 53, 6) ab Iove *Κλαρίῳ* id est *Καρίῳ* nomen accepit: cfr. Solmsen, Rh. Mus. LIII 1898, 157. Item nullus in hac quaestione locus est Aeschyli Suppl. versui 369 *ἱκεσία Θέμις Διὸς Κλαρίου*; responsione enim demonstratur versum in dicreticum exire: *Ζεύς*, cui *κλῆρος* cordi est, intellegitur.

[1]) Quae in adnotatione hac lege indico, ut plurimum ipsius dei sacerdotiis sacris dedicationibus tribuam, tum mensem *Καρνεῖον*, qui ab eo nomen duxerit, aliquo certe loco habeam, quamquam menses non solum religionibus sed etiam commerciis continentur; nomina contra theophora prorsus reticeam. In qua enim civitate illa multa sint, in illa aliis de causis constabit Carneum excultum esse, in qua pauca vel unum, quis est qui spondeat non patrem filium ab amici peregrini nomine appellasse? Atque illa nomina cuivis praesto sunt in opusculo illo Ernesti Sittigii doctissimo de nominibus theophoris (p. 56). Indicem meum e Gruppii (Myth. 1243, adn. 2) et Wernickii (PW. II 55) laterculis ita concinnavi, ut supervacanea et quae huc non facerent, demerem, ipse e titulis, quae nuper innotuissent, testimonia nova adicerem. A testimoniis ordior, quae falso ad Carneum referuntur: Thuriis in colonia panhellenica illam religionem fuisse e testimonio minus idoneo colligitur: quod enim Theocritus (V 83) pastorem Thu-

sibi patriam asseveret, mox (v. 72 sqq.) indicat Pindari vocibus in mentes eorum qui legerent revocatis. Pindarus enim in carmine de Cyrenarum originibus cyrenaeo victori in honorem com-

---

rinum *τὰ δὲ Κάρνεα καὶ δι᾽ ἐφέρπει* dicentem fecit, ille pastor non minus aut Syracusanus aut Cous est quam Thurinus, nam Comatae gratia, servi poetae cuius personam a fama accepisset, scaenam in agro Thurino collocatam esse a Theocrito perspexit Wilamowitzius (in huius mimi hypothesi; cfr. quoque Textgeschichte der Bukoliker 166). — *Καρνησσόπολις* nomen civitatis Lytti antiquum perperam huc refertur; illud — *ησσός* enim pariter atque — *ασσός* ne graecum quidem videtur (cfr. Aly, Kret. Apollonkult 8, adn. 2). Neque huc pertinet nomen dei Carneus in titulo latino in Lusitania invento CIL II 125; quod miror ab Holdero in thesaurum celticum receptum esse, cum editores tam vehementer dubitent, num recte lectum sit. — Pausanias III 13, 4 (similiter III 26, 7) testatur omnes Dores Carneum honorare; omnibus Doribus mensem Carneum sacrum esse testatus erat Thucydides V 54, 2. — De religione Carnei spartana non est cur testimonia congeramus, cum sescenta sint. Satis erit admonere iam Herodotum (VII 206) Carnea spartana commemorasse (quae enim VIII 72 perstringit, nescio an ad totam Peloponnesum pertineant), item Thucydidem V 75, 2 (nam num alter locus V 76, 1 genuinus sit, ambigitur). Iam Hellanicus *Καρνεονίκας* et versibus et oratione soluta conscripsit, ut Athenaeus ait XIV 635 e, cuius testimonium immerito in dubium revocari ostendit Felix Jacoby (P. W. VIII 143). Sed fere omnes glossae de illius festi ritibus et personis ad sacrum spartanum aut diserte ab ipsis testibus referuntur aut referendae esse videntur. Nuper vero testimonium innotuit omnibus quae tenebamus vetustius, titulus fortasse VI saeculi *βουστροφηδόν* exaratus (Annual of the Brit. School XV 82), quo *Αἰγλάτας τῶι Καρνείοι* anaglyphum dedicat, quo arietis cornua repraesentantur; ubi dignum est quod commemoretur. Carneum nondum Apollinem appellari. Quae victoriae primo loco dicuntur, fortasse item ad agones Carneos spectant. — Atque non solum in ipsa urbe, sed multifariam in agro laconico Carneus excultus est; ut Pausanias testatur, Gythii (III 21, 8), Oetyli (III 25, 10), Leuctris (III 26, 5), Cardamylae (III 26, 7). Ad montem Cnacadium ubi illius religionem floruisse idem docet III 24, 8, nuper herma inventus est arietis capite insignis, quem recte a Schrödero (Athen. Mitt. XXIX 1904, 21 sqq.) quasi quandam Carnei effigiem explicatum esse nunc anaglypho spartano comprobatur. Idem glossographi *κάρνον· κρίον* explicantes docere potuerunt. In eam opinionem inclino, ut existimem *Κρανίου τέμενος* illud *ἐπίκλησιν Στεμματίου* (Paus. III 20, 9) in agro laconico ad viam, quae in Arcadiam ducit, positum Carnei sacrum fuisse; vocabulum enim cognatum quod est *στεμματιαῖον* cum Carneis lacedaemoniis quodammodo cohaeret (cf. Hesych. s. v. 1736; Anecd. Bekk. I 305, 31); pariter *σταφυλοδρόμος* in Carneis *στέμματα περιθέμενος* cucurrisse narratur, Anecd. Bekk. I 305, 25. Nonne Carnion, urbs arcadica a Plinio n. h. IV 30 commemorata, eodem faciat, ut Wernickius contendit, non omnino constat; *τὸ Κάρνιον* apud Asinem Polybius commemorat V 19, 4, ad meridiem igitur versus Lacedaemone profectis. — Ut Lacedaemone cum Pindaro et Callimacho Theram transgrediamur, ibi Apollinis Carnei reli-

posito, Pyth. V 72, chorum cyrenaeum fecit canentem: Lacedaemone *γεγενναμένοι ἴκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεῖδαι, ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν.* Quae verba Callimachus ut-

gionis documenta praecipue Hilleri excavationibus plurima in lucem prolata sunt. Vetustissimum testimonium inscriptio praebet perobscura rupi insculpta IG XII 3, 324 *Ἀγλοτέλης πράτιστος ἀγορὰν hικάδι Κα[ρ]νήια θεον δείπνιξεν honιπαντίδα* (i. e. *οὐνιπαντίδα, ὁ Ἐνιπαντίδα*) *καὶ Λακαρτῶς,* ubi qui illud *θεον* intellegendum sit, ambigitur. Mihi una maxime Hilleri interpretatio probatur, ut sit *θέων*: Aglaoteles scilicet cum munus sortitus esset currendi in Carneis, munus scilicet staphylodromi (cfr. potissimum Anecd. Bekk. I 305. 25; Hesychius s. v. *σταφυλοδρόμοι* 1673 non tam perspicuus est), primus omnium illius muneris collegarum *ἀγοράν*, cives ad cenam vocavit. Templum Apollinis Carnei Hiller effodit (Thera I 275 sqq.; III 62 sqq.), ante quod planities erat, hominum opera scilicet ea de causa coaequata ut pueri saltarent, quorum et agilitatem corporis et formae praestantiam tituli amatorii laudant illi nobilissimi, quorum pars quidem non longe ab illo templo saxo insculpta est. Consuetudinem illam *τοῦ δαμοθοινᾶν* in Carneis praestat inscriptio in puteo sub ipso templo inventa IG XII 3, 335 non tam antiqua illa quidem. Atqui Carnei religionem non inde ab origine Theraeorum fuisse, inde recte Hillerus (Thera III 69) collegit, quod Delphinium, non Carneum adulescens quidam antiquissima aetate testem domiti pueri invocasset (IG XII 3, 537). Sed Theram introducta tamen est aetate satis antiqua, cum illa insula regum imperio obtemperabat; non minus enim recte idem (Thera I 153) conclusisse videtur genti quae a regibus originem repeteret, sacerdotium hereditarium fuisse cum Aesculapii tum Apollinis Carnei. Titulos quaerentibus, quibus unus et alter ex illis sacerdotibus commemorantur, pariter quibus servi *Καρνείοις ἐν ἀγῶνι* manumittuntur, Hilleri indices diligentissime confecti praesto erunt (cfr. fasciculi 3 pp. 252. 255. 344 s. vv. *Ἀπόλλων* et *Καρνεῖα*). — Si Cyrenas transmittimus, praeter Pindari et Callimachi locos, quos discepto, Carnei religionis documento sunt Plutarchi quaest. conv. VIII 717 d. — In Peloponneso praeter Laconiam ille deus colebatur Sicyone (Paus. II 10, 2. 11, 2), Argis, ubi epigramma in Maeniae T. f. Smyrnae sacerdotis tumulo etiam nunc legitur (IG IV 620), mutilum illud quidem et difficillimum ad intellegendum (velim teneas eam etiam Iovis fuisse sacerdotem aut se futuram sperasse in supplemento tantum versus 11 positum esse *ὑψίστου δ' ἰρίον ἄ[γχι Διός]* elegantissimo sane et quod complures difficultates expediat, alias autem ipsum taciat). Epidauri illum cultum e mense eiusdem nominis colligimus, qui saepius in tholi aedificandae rationibus, qui est titulus IV a. Chr. n. saeculi (IG IV 1485), memoratur. — Religionis Carnei messeniae testimonio est lex sacra Andaniensis (Syll. 653 = Ziehen, legg. sacrae nr. 58), qua saepenumero templum Carnei sive *τὸ Καρνειάσιον* nominatur quaque iubetur (v. 34. 69) cum aliis dis tum Apollini Carneo res divina fieri: quo de titulo plura dedi in Atti di Torino 1912. Mysteria dearum Magnarum in Carnasio facta esse docet Pausanias IV 33, 4; idem testatur in alia Messeniae urbe Pharis Apollinis Carnei nemus fuisse (IV 31, 1). — Apollo *Καρῖνος* saxum in pyramida formatus, quem a Megarensibus excultum esse apud Pausaniam (I 44, 2) legimus, num cum Carneo

cumque intellexit (sunt enim controversa), ita intellexit, ut crederet Pindarum Theram a certo genere spartano Aegidarum con-

cohaereat, nescio; scio eandem pyramida quam in nummis megaricis, in nummis quoque byzantiis incusam esse (cfr. Head h. n.² 393; Drexler, Ztschr. f. Numism. XIX 1895, 128), apud Byzantios vero Megarensium colonos mensem Carnium fuisse, ut Glossarum liber (V 175, 22 Götz) testatur. — Si iam a Peloponneso ad insulas doricas minores transgredimur, Rhodi rursus in urbe cui Camirus nomen fuit, dedicationem reperimus, quam III fere a. Chr. n. saeculo (IG XII 1, 705) cum multi alii posuerunt, in quibus Pythii sacerdotes, tum sacerdos Apollinis Carnei (v. 18) peculiaris; in alio contra titulo (IG XII 1, 697) in eadem urbe invento item unus commemoratur, qui simul sacerdos fuit [*Ἀπ*]*όλλω*-[*ν*]*ος* [*Πυθίου καὶ Καρ*]*νείου καὶ Μυλαντ*[*ίου*], quae omnia quin recte suppleta sint, non dubito. In eadem insula Lorymis certum Apollinis sive templum sive simulacrum primo a. Chr. n. saeculo fuit, ut titulus docet IG XII 1, 845, 14 (*ἱερεύς*) [*Ἀπόλ*]*λωνος Καρνείου* [*τοῦ κατὰ*] *Λώρυμα*. Item Philippum Philippi filium *ἱερῆ Ἀθάνας Λιν*[*δίας*] *κ*[*αὶ Διὸς Πολι*]*έως καὶ Ἀρτάμιτος Κεκοίας*, pariter Agaurida uxorem effingendam curarunt, statuas posuerunt, a. circiter 42 a. Chr. n. cum multi alii sacerdotes, in quibus sacerdos Apollinis *Πυθιαέως*, sacerdos Apollinis *Ὀλίου*, sacerdos Apollinis *ἐς Κάμυνδον*, tum etiam sacerdos Apollinis *Καρνείου* (Blinkenberg-Kinch, Explor. de Rhodes III 56 sqq., 25. 85). De mense Carneo non solum ex universae reipublicae rhodiae decreto II a. Chr. n. saeculi constat, sed etiam ex amphoris sescentis per totum terrarum orbem dispersis et dissipatis. — Fuit mensis Carneus pariter Nisyri, ut decretum (IG XII 3, 91, 10 = Syll. 263) docet circa annum 200 factum. — *Καρνεῖας* nescio quas Coi tertio quoquo anno celebrabant: *τὸ ἄτερον* enim *ἔτος ἐφ' οὗ κα ἔωντι Καρνεῖαι* in fastis legitur (38 Pat. = Syll. 617), 11. 15. 22. Mensis Carneus fuit Calymnae (GDI 3593, 6. 12. 30. 80. 98. 100; 3567 b 11; 3609). Cnidi rursus dedicatio Apollini Carneo aetate illa quidem romana posita (Lebas 1572) inventa est, cui nuper similis titulus accessit in ripa maris opposita in Chersoneso Cnidia inventus (BCH XXXIV 1910, 425), quem Romani in urbe habitantes posuerunt; credo potius Cnidi in urbe quam Bybassi, quod oppidum eo loco, ubi ille titulus inventus est, fuisse dicitur. — Patmi quoque dedicatio illi deo facta inventa et edita est *ἐφ. ἀρχ.* 1862, 262. 231 *Ἀπόλλωνος Καρ*[*νείου*]. — Religionis Carnei cretensis iam nullum aliud testimonium superest nisi mensis nomen, id vero in titulis Gortyniis alterius II saeculi a. Chr. n. (GDI 5009 b *Καν*[*ν*]*ήιω*), altero exeuntis III vel ineuntis II (GDI 5025, 21 *Καννει* . . .), tum in foedere inter Gortynios et Cnosios II saeculo pacto (GDI 5015, 3 *Καννήιω*, at 5 *Καρνήιω*). *Καρωνίω* 5149, 21 nescio an non recte lectum sit. — In Sicilia fuit mensis Carneus non solum apud Geloos Rhodiorum colonos (quamquam nullum aliud documentum superest nisi decretum Phintiadis incolarum, qui profecto se *τὸν δῆμον τῶν Γελῴων* dixerunt, IG XIV 256, 5) et Agrigentinos Geloorum colonos (IG XIV 952, 8: decretum est in honorem Demetri Syracusani, a. circiter 200 factum), verum etiam Syracusis ea aetate qua Nicias eas obsidebat, si Plutarcho credimus (Nic. 28), pariter apud Tauromenitas, ut in fastis illis clarissimis (IG XIV 425. 427. 429 saepius) legitur.

ditam dixisse. Sequitur *πολύθυτον ἔρανον ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεᾷ Καρνεῖε ἐν δαιτὶ σεβίζομεν Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν*. Quas voces Callimachus sine dubio ad chorum, non ad poëtam rettulit, *ἀναδέχεσθαι* suo iure ita accepit quasi esset „sua vice recipere", easdem epulas Carneas scilicet quas coloni Lacedaemonii domo Theram portarant. Totum nimirum locum in hanc fere sententiam interpretatus est: „epulas Carneas, quem morem Theram Lacedaemonii introduxerant, inde acceptas cum Cyrenaei celebremus, Cyrenas civitatem nostram honore afficimus". Callimachum revera ab hoc Pindari loco pendere inde demonstratur, quod uterque continuo non iam Battum sed Aristotelem dicit in Libyam Theraeos duxisse, quod Batti nomen, nisi quod Herodotus quoque illud respexit[1]), non alibi commemoratur: Pindarus enim priscos Cyrenaeos *ἄνδρας* dixit (v. 86), *τοὺς Ἀριστοτέλης ἄγαγε ναυσὶ θοαῖς ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνοίγων*; Callimachus autem scripsit (v. 76) Battum Carneum Thera in Libyam portasse: *οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ*. Neque hic concentus casu evenire potuit: utroque enim loco idem poeta voluit, eos qui legerent, mirari, quis hic Aristoteles esset, qui nondum commemoratus erat; voluit praeterea Callimachus illos huius Pindari loci recordari. Post illa quae exscripsimus verba sequitur apud Pindarum: *κτίσεν δ' ἄλσεα μείζονα θεῶν* viamque aedificavit pompis Apollineis, apud Callimachum *δεῖμε δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον*. Quis iam dubitabit quin Callimachus Pindarum quasi digito indice monstret?

71 Ad *ἐμοὶ πατρώιον οὕτω* verbum *καλεῖν* intellegendum est, quod in illo *καλέουσι* (v. 69) quasi latet. — 72 *τὸ δὴ* pro *τὸ δὲ* substituit Kaibelius: *τόδε*, quod Vahlenus (p. 816, adn. 1) commendavit, Choephor. v. 59 comparato minime firmatur: in vocibus enim *τὸ δ' εὐτυχεῖν, τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον* illud *τόδε* notitiam quandam et fere speciem infinitivo significatam quasi denuo inculcat, non certam rem, ut civitas est, proprio nomine comprehensam. — *ἕδεθλον* sedem intellego, non fundamentum, ut arae Apollinis corneae fundamenta paullo ante (v. 62) *ἑδέθλια* vocaverat. Utrumque vero vocabulum in utramque sententiam ponitur; *ἑδέθλια* ad fundamenta indicanda Callimachus hoc quem diximus loco usurpavit; Apollonius *ἵνα τ' εἰσὶ πύλαι*

[1]) Ut Malten, demonstravit (Kyr. p. 100, adn. 1).

καὶ ἐδέθλια Νυκτός (IV 630) cum scriberet, Noctis sedes intellectas voluit; Lycophron v. 800 *ὅ τ' αἰπὺ ναίων Τραμπύας ἐδέθλιον* voluit *Τραμπύας ἄστυ*. Vocabulum quod est *ἕδεθλον ἕδρασμα* significasse testatur Suidas: at, ut sedem designarent, illo multi poetae usi sunt; ut Aeschylus Agam. v. 776 de *Δίκᾳ* cum dicit *τὰ χρυσόπαστα δ' ἕδεθλα σὺν πίνῳ χερῶν . . . λιποῦσα*, regum domus indicat, potius igitur sedes quam fundamenta. Si quis vero de hoc loco ambigat, praesto est illud Antimachi (ap. Paus. VIII 25, 4 = fr. 28 Ki.) *Δήμητρος τόθι φασὶν Ἐρινύος εἶναι ἕδεθλον*, item illud Apollonianum IV 329 sqq. *ἐκ δ' ἐπέρησαν δοιὰς Ἀρτέμιδος Βρυγηίδας ἀγχόθι νήσους· τῶν δ' ἥτοι ἑτέρῃ μὲν ἐν ἱερὸν ἔσχεν ἕδεθλον*. Nam templa siquidem dicunt, potius sedem vel sacram sedem quam fundamenta in hanc sententiam usurpant. Id quod pariter in illud Lycophronis (v. 984 sqq.) cadit *πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ δυσδαίμονες δείμαντες ἀλγυνοῦσι Λαφρίαν κόρην Σάλπιγγα δῃώσαντες ἐν ναῷ θεᾶς τοὺς πρόσθ' ἕδεθλον Ξουθίδας ᾠκηκότας*. Quae voces qui intellegi poterint nisi „Ionibus necatis, qui illam urbem usquetum habitassent“? Comparari potest vox de eadem radice deducta *ἕδος*, qua pariter et fundamentum (cfr. Hesiodi Theog. v. 117 *Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί*) et sedes (cfr. *Ὄλυμπον, ἵν' ἀθανάτων ἕδος ἐστίν E* 360, multi alii loci). Atque si recte *ἕδεθλον ἐδέθλιον* spiritu leni scribuntur, illas voces poeta epicus antiquus usurpavit. — 73 *ἄστυ Κυρήνης*, quod fuit qui in suspicionem revocaret, praeierat Pindarus Pyth. IV 260 *ἄστυ χρυσοθρόνον διανέμειν θεῖον Κυράνας*. Hic illius vocabuli syllaba prima semper brevi usus est, item Hesiodus Eoearum fr. 149, 1, neque ea producitur nisi in versus heroi arsi, ut ab eodem Callimacho h. III v. 206 atque antea ab Hermippo (ap. Athen. I 27e, v. 4) *ἐκ μὲν Κυρήνης καυλὸν καὶ δέρμα βόειον*), postea ab Apollonio II 502 (*Κυρήνῃ πέφαταί τις ἕλος πάρα Πηνειοῖο*), Dionysio Periegeta (v. 213 *Κυρήνῃ τ' εὔιππος, Ἀμυκλαῖον γένος ἀνδρῶν*[1]); item in arsi trimetri iambici, ut scripsit Aristophanes Thesmoph. v. 98 *ἐγὼ γὰρ οὐχ ὁρῶ ἄνδρ' οὐδέν' ἐνθάδ' ὄντα, Κυρήνην δ' ὁρῶ*: nobilem dicit meretricem[2]). Vocalis igitur quae est *υ* saepe producitur,

[1]) *εὔιππος* ab eodem Pindari loco Pyth. IV 2 *εὐίππου βασιλῆα Κυράνας* deprompsit, a quo Callimachus (fr. 112) illud *μήτηρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης*.

[2]) Nihil contra alteri Aristophanis loco (Ran. v. 1325 sqq.) tribuo, ubi Aeschylus fingitur Euripidis numeros canticorum ridere *τοιαυτὶ μέντοι σῦ ποιῶν*

saepe corripitur: nunquam tamen producitur, quin in arsi collocata sit. Inde iam Maltenius (p. 71) recte adversus Studniczkam conclusit illam syllabam *Kv* suapte natura brevem fuisse; equidem contendo productionem non illius, qui Cyrenaeorum consuetudinem loquendi ignoraret, sed poetarum quasi propriam fuisse, qui numeris inservirent. Neque haec conclusio forma responsi Batto redditi, quam nobis Diodorus (VIII 29) repraesentat, labefactatur: *Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων εἰς Λιβύην πέμπει καλλιστέφανον Κυρήνης εὐρείης ἄρχειν καὶ ἔχειν βασιληίδα τιμήν*, quae secuntur. Nam hanc oraculi formam recentiorem esse inde elucebit, quod, si eam cum oraculo comparaveris eiusdem sententiae, breviore tamen et pressiore, quod Herodotus servavit IV 155 *Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων ἐς Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα* non plura, tibi fatendum erit non ambas formas genuinas esse posse; utra sit, et ipsam brevitatem declarare et vocem *οἰκιστήρ*, quam doricam esse, e propria civium cyrenaeorum loquendi consuetudine depromptam, peculiari commentatione demonstravi (Glotta 1913). Nihil ergo impedit quominus illum versum aetate demum hellenistica in eam formam redactum censeamus.

74 *ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο* Theras dicitur *ὁ Αὐτεσίωνος τοῦ Τεισαμενοῦ τοῦ Θερσάνδρου τοῦ Πολυνείκεος* Oedipodis filii (cfr. Herod. IV 147); stipes enim primus rationibus includitur, ut a Pausania IV 15, 3 Theopompi regnum *ἐς ἀπόγονον τέταρτον* devenisse narratur Anaxidamum *Ζευξιδάμου τοῦ Ἀρχιδάμου τοῦ Θεοπόμπου*. Exemplum vocis *γένος* ita positae ut generis gradum numero apposito indicet quamquam nullum aliud praesto est, prope accedit illud Isaei XI 5 *δεῖ δή σε τῆς ἀγχιστείας . . . τὸ γένος εἰπεῖν* „agnationis vinculum, gradum“; vel propius illud oratorum Atticorum pervulgatum *οἱ ἐγγύτατα γένους; δεύτερος, τρίτος ἀπόγονος* multi dixerunt. — 76 Callimachus Cyrenaeorum agrum *Ἀσβυστίδα γαῖαν* dixit, ut *Ἀσβύστας* Libyas *ὑπὲρ Κυρήνης* habitantes Herodotus appellarat (IV 170). Idem Callimachus flumen libycum Tritonem Asbystam vocavit vel potius vocarat libri Aetiorum I fr. 13 *οἵη τε Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ἀσβύσταο.* — *πάρθετο* singulari quodam pondere dictum est; nam *παρατίθεσθαι* genere medio potius

τολμᾶς τἀμὰ μέλη ψέγειν, ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν; neque enim perspicio, cur non liceat versum glyconeorum seriei extremum ita dimetiri, ut sit pherecratius istius formae ⏑ ⏓ ⏑ ⏑ ⏓.

de committendo quam de apponendo usurpatur: cfr. Herod. VI 86 β a τοῦ παραθεμένου τὰ χρήματα: item Apollonius Rhodius Colchos cum Minyis pepegisse fecit, ut Medeam Dianae committerent, Dianae in tutela collocarent, dum diiudicaretur, utris redderetur: *παρθέσθαι κούρῃ Λιτωίδι νόσφιν ὁμίλου*, inquit (IV 346). Quid iam attinet illud Christi *εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου* afferre? Battus Carneum, suum deum, terrae ignotae commisisse narratur. — Quod Callimachus Battum sive Aristotelem linguae vitio sanatum esse dicit, eum fabulam antiquam sequi in capite de fabulis cyrenaicis demonstraturus sum. — Multa unum vocabulum desiderat, *οὖλος*: quod hoc loco pro illo quod est „integer, sanus, servatus“ quin positum sit, nescio an fuerit qui dubitaret inde a Callimachi scholiasta. Atque iam Janius evicit Callimacho, cum illum versum scriberet, sive ω 118 ante oculos obversatum esse *μηνὶ δ' ἄρ' οὔλῳ* sive ρ 343 *ἄρτον τ' οὖλον ἑλὼν περικαλλέος ἐκ κανέοιο*, quas voces etiam altero loco veteres grammatici in hanc sententiam acceperunt, falso illi quidem[1]); *οὖλος* idem Callimachus ita usurpavit Hecalae fragmenti Vindobonensis I 8 *Θησεὺς οὐχ ἑκὰς οὖλος ἀπ' εὐύδρου Μαραθῶνος ζωὸν ἄγων τὸν ταῦρον*. At Janius (p. 8 sqq.) non ita rem administravit, ut iam supervacaneum sit universam de vocis *οὖλος* usu Callimacheo quaestionem rursus de integro proponere. Illud vero vel mordicus tenendum, hunc usum vocis vel potius vocum (nam complures coaluerunt), de quarum accentu iam inter antiquos grammaticos litigaretur[2]), totum in interpretatione homerica versatum esse. Caveamus igitur, ne facile credamus Callimachum illi voci significationes inauditas inculcasse, cum praesertim etiam nunc satis magna testimoniorum vis praesto sit, e quibus colligamus, qua ratione singulos Homeri locos grammatici interpretati sint. — Fr. 507 Callimachus *οὔλου μητέρ' Ἄρηος* quoniam scripsit, Homeri *E* 461 *οὖλος Ἄρης*, Λ 717 *οὖλον Ἄρηα* profecto „torvum, perniciosum“ intellexit, ab eo quod est *ὄλεθρος* illam vocem

[1]) Primus Benndorfius docuit (Erani Vindobonensis p. 377) non panem sed pultis potius in oblongam formam ductae genus quoddam intellegendum esse, qua Asiani etiam nunc vescantur quaeque in cavam manum complicata colligitur, ut a Neapolitanis maccheroni manibus tractari solent.

[2]) Quae tibi controversiae scholiis A ad *K* 134 repraesentabuntur, quae videlicet ex Herodiani prosodia homerica fluxerunt (fr. 307; II 273, 31 L.), cfr. quoque Et. M. 640, 48.

derivavit. Fr. 140 *ἀμφί τε κεβλὴν εἰργμένος ἀγλίθων οὖλον ἔχει στέφανον* „alliorum mollem coronam“ intellexerim potius quam complicatam, velut, ut hos solos exempli gratia commemorem, Apollonius lexici homerici 124, 1, Et. M. 640 *οὔλων ταπήτων Il* 224 quasi *μαλακῶν* interpretantur. Sed non dubito quin et densam coronam et crispam intellegere saltem liceat. — Vesper h. IV v. 302 *οὖλος ἐθείραις* dicitur, quae verba ab homericis illis *οὔλας ἦκε κόμας, ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας ζ* 231 *ψ* 158, *γυρὸς ἐν ὤμοισι μελανόχροος οὐλοκάρηνος* fluxisse nemo est quin videat; reliquom est ut quaeramus quomodo Callimachus illa acceperit. Atque unum spondeo, illum vocem *οὖλος* non ad colorem rettulisse, nam similitudinem cum flore hyacinthino multi fuerunt qui illuc spectare opinarentur, eam vocem nemo, quidquid Janius dixit. Complures, ut Apollonius lexicographus et Etymologus, *τρίχας συνεστραμμένας* intellexerunt. Sed non minus apte in illos locos sensus crispi vel cadit vel cadere videri poterat: *οὔλας χλαίνας* similia (*Ω* 646; *δ* 50. 299; *η* 338; *ϰ* 451; *φ* 8[1]; *τ* 225) „crispas, lanosas“ vestes intellegere poterant, *οὔλην λάχνην K* 134 densos, crispos vestis pilos. Accedit quod vocis *οὖλος* haec una significatio non penitus interiisse videtur: testimonia satis sunto quae lexicis praebentur: Aethiopas Libycos, qui omnium hominum *οὐλότατον τρίχωμα* haberent, Aethiopibus orientalibus Herodotus, qui *ἰθύτριχες* essent (VII 70, 1), opposuit. Homines vero nigros, Aethiopas, Callimachus in parte orbis terrarum occidentali habitare noverat: h. in Cer. v. 10 *ἔστ' ἐπὶ δυθμάς, ἔστ' ἐπὶ τὼς μέλανας καὶ ὅπα τὰ χρύσεα μᾶλα.* Idem autem hoc loco Vesperi capillos eorum capillis similes finxit, qui sub illo sidere habitarent. — Tres loci restant, qui unam eandemque interpretationem requirunt; ubique enim *οὖλος* vel ad saltationem vel ad incessum saltationis similem spectat: h. I v. 52 *οὖλα δὲ Κούρητές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν ἀσπίδος εἰσαΐοι καὶ μὴ σέο κουρίζοντος*; h. III v. 246 *αἳ δὲ πόδεσσιν οὖλα κατεκροτάλιζον, ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι*; ep. V v. 5 nautilus se praedicat pedibus per quietum mare remigare, ut nomen rei suum conveniat: *ναυτίλος, ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον, εἰ μὲν ἀῆται, τείνας οἰκείων λαῖφος ἀπὸ προτόνων· εἰ δὲ Γαληναίη λιπαρὴ θεός, οὖλος ἐρέσσων ποσσί νιν, ὥστ' ἔργῳ τοὔνομα συμφέρεται.* Janius „magna cum intentione, vehementer“ explicat, hanc significationem ab interpretatione illius homerici *οὖλον κεκλίγοντες P* 756. 759 de avium

agmine et de Achivis avium more cum strepitu fugientibus dicti repetit. At vehementiae notio a tertio certe loco prorsus aliena est; densa contra ut lana ita et nautili et saltationes cum Amazonum tum Curetum optimo iure dici poterant. Atque nihil adversus hanc interpretationem valet, quod altero loco *οὖλα* cum *κατεκροτάλιζον* iungitur; neque enim necesse est *οὖλα* ad rumorem spectare; in *πόδεσσι κατεκροτάλιζον* enim saltandi notio quasi latet. Fac autem *πυκνὰ* pro *οὖλα* ibi traderetur, quis iam in illa voce offenderet?

77 *ἀνάκτορον* quo iure Maltenus proprium Apollinis templi nomen (p. 47) fuisse contendat, non assequor. Euripides non solum templum Apollinis delphicum (Ion. v. 55) sed templum Thetidis (Androm. v. 43) *ἀνάκτορον* dixit. Sane illud vocabulum a Callimacho non temere e compluribus, quae praesto erant, arreptum sed consulto delectum est, cum invocatio illa *ὦ ἄνα* mox (v. 79) sequeretur. — *ἐν δὲ πόλῃ* singulari quodam pondere dictum est: Batti enim templum amplissimum, splendor sacri in urbe facti Carneorum parsimoniae opponuntur, quae prima in Libya ipse celebrarit, cum nondum Theraeis liceret Cyres fontibus appropinquare, quaeque tamen Apollini magnopere placuerint. — 79 Boves non procumbunt sed resupini cadunt, ut animi equi illi platonici, si memoria ipsam pulchritudinis speciem contemplata *ἀνέπεσεν ὑπτία* et lora tam vehementer retrahere coacta est, *ὥστ' ἐπὶ τὰ ἰσχία ἄμφω καθίσαι τὼ ἵππω* (Phaedr. 254 b c).

Iam Callimachus Carneum iisdem vocibus invocat quibus simul adulescentium chorus: „*ἰὴ ἰή, Καρνεῖε*, tuae arae nunquam neque vere neque hieme florum expertes sunt, ignis tibi sempiternus ardet." A Carneis annuis ad ritus cottidianos transgressus erat; nunc rursus ad Carnea revertitur, quae prima Theraei feminis Libyssis circumstantibus saltarunt, cum nondum Cyrenas tenebant sed Azili habitabant. Apollo saltationem uxori demonstravit in colle Myrtosio stans, ubi ipsa leonem illum Eurypyli gregibus infestum necarat. Apollini nullus chorus tantopere probatus est, nulli civitati tantum ille tribuit quantum Cyrenis, virginis raptae memor; Battiadae vero nullum deum tantum honorarunt quantum Apollinem.

Tota pericopa summa arte exaedificata est, si eam iam pericopam appellare licet. Umbilicum hunc carminis esse ipse Calli-

machus monstrat: unius enim civitatis religio diserte describitur, unius ritus, Carneorum, origines quaeruntur atque enarrantur. Prior pericopae pars in apparatu templi splendidissimo versatur, posterior in Carneis illis priscis simplicibus et parcis. Eosdem animos spirat atque Properti l. IV elegia prima *hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Romast, ante Phrygem Aenean collis et herba fuit, atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo, Euandri profugae concubuere boves*; eosdem atque Vergili liber Aeneidos VIII, ubi ritus prisci civitatis Euandri palatinae oculis subiciuntur. Atque eo potissimum carminum aetiologicorum pulchritudo continetur, quod originum cuiusque rei agrestis simplicitas cum magnitudine et magnificentia eorum quae inde originem ceperunt, in uno conspectu componitur. Neque carmina aetiologica temere et fortuito, sed consulto commemoravi; quas enim choreas Theraei Carneis saltarunt, adulescentium cyrenaeorum saltationi, quae fit dum Callimachus loquitur, exemplo fuerunt. Pericopa in Apollinis laudes exit, qui nullam civitatem tantis muneribus cumulaverit quantis Cyrenas, tum Battiadarum qui nulli deo tantum honoris tribuerint quantum Apollini. V. 28 sqq. dedita opera in memoriam revocantur, quibus praedicatum erat, quid choro illi adulescentium cyrenaeorum cum Apolline intercederet, quot dei laudes illis in promptu essent, quanta eos mercede Apollo remuneraturus esset. Atque quantum huic carminis parti ipse qui scripsit, tribuerit, vel inde elucet, quod in hac pericopa et imaginibus et genere dicendi praeter consuetudinem luxuriatur. Comparatio enim florum copiae Apollini oblatorum cum eorum florum numero, quem Horae colligunt Zephyro rorem spirante, magis exornatur quam huic arti sobriae plerumque et quasi severae consentaneum est. Verbi tam audacter usurpati quam verbum *περιβόσκεται* in v. 84 adhibetur, ubi favilla hesterna carbones pasci vel potius circumedere dicitur, non multa exempla ex hymnis collegeris.

Priusquam ad singula interpretanda accedimus, qui huius quem umbilicum diximus, in hymni compositione locus fuerit, paullo diligentius quaeramus. Reliquis enim duobus hymnis, quos ab ipso Callimacho cum hoc carmine iunctos esse pro certo habemus, hymno in Dianam et hymno in Delum, singulis pariter locis una certa religio enarratur, vel, ut accuratius loquamur, quamquam multae tractantur, unius origines describuntur, unius apparatus laudantur. Hymni in Dianam v. 237 sqq. Amazones

praedicantur Ephesi simulacrum Dianae statuisse: subicitur templum illi postea circumaedificatum esse Delphico splendidius, quod etiam tunc stet. Hymni in Delum v. 300 sqq. quanta religione illa insula observetur, laudibus tollitur: adulescentium per Thesea a Minotauri faucibus servatorum circum Veneris simulacrum saltatio describitur; inde origo Atheniensium moris, ut certam quotannis navem Delum mittant, repetitur: adicitur etiam alterius ritus descriptio, causa pariter subicitur. Addere poteram religionis deliae perpetuitatem hoc loco (v. 302 sq.) pariter efferri atque in hymno quem interpretamur religionis Carnei cyrenensis. Equidem nego has trium carminum inter se similitudines casui tribui posse. Immo consulto Callimachus carmina sua ita exaedificavit. Inde, si quid video, colligitur eum in his hymnis pangendis civitates Cyrenas Ephesum Delum respexisse, hos illis quodammodo dicasse. Neque tamen affirmo haec carmina mare transmissa et a choris publice cantata esse; neque enim Callimachi aetas aetatis Pindari similis fuit. Alexandrini, quae scripserunt, eadem ratione publicanda curarunt atque nos facimus exemplaribus sive divenditis sive dono missis. Atqui potuit, potuit tamen Callimachus carmina certis civitatibus certo die festo dicare, ut poëtae nostrates, Italos dico, carmina, quae in pugna nobili vel in viro claro laudando versantur, die illius pugnae vel obitus illius viri anniversario publicanda saepe curant. Illum contra haec carmina non choro destinasse qui illa caneret, vel ex hoc, quem disceptamus, hymno efficitur. Hic enim hominem se e vulgo Callimachus fingit, qui cum turba colloquatur, tum in laudes Carnei se quasi pietate abripi patiatur, tum vero rursus una cum choro illum invocet. Qui in carmine publice canendo his partibus, huic personae locus esse potuit? At huius generis laudes is tantum percipere poterit, qui, cum legat, sibi turbam in templo ad sacrum faciendum congregatam menti, non oculis repraesentet. Etiam fateor mihi omnino non constare, num in ulla civitate Carneis Apollo praesens creditus sit; nam talis *ἐπιφάνεια* seu *παρουσία* potius poëtarum hellenisticorum pietati mysticae quam genuinae atque rudi Graecorum religioni mihi consentanea videtur.

Haec in praesentia satis sunto; iam ad singula transeamus. Statim initio Carnei arae praedicantur nunquam neque vere florum expertes esse neque hieme croci. — 80 Vocem *βωμοί* numero plurali positam scite defendit Vahlenus (p. 818) Apollonii IV 1219 sqq.

collatis. — **80 sq.** Callimachus cum florum copiam, quos vere Carnei altaria portent, cum floribus comparat quos Horae effundant, simulatque Zephyrus rorem flatu congregarit, Cypriorum locum illum nobilissimum respicere videtur, quem etiam nunc apud Athenaeum (XV 682 c) legimus, ubi Gratiae et Horae Venerem vestientes describuntur *εἵματα μὲν χροΐ ἕστο, τὰ οἱ Χάριτές τε καὶ Ὧραι ποίησαν καὶ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν. οἷα φοροῦσ' Ὧραι.* Atque equidem suspicor Callimachum non *οἷα* sed *ὅσσα* legisse: illud *οἷα* enim omni acumine et paene sensu caret; *ὅσσα* cum sequentibus optime cohaeret; plurima enim florum genera iam recensentur; *ὅσσα φέρουσ' ὧραι* iam temptavit Hecker, verisimiliter ut saepe, nisi *φοροῦσ'* cur sollicitarit, non intellego[1]). Callimachus vero[2]) *φοροῦσιν* ad aras transtulit significatione omnino mutata, *ἀγινεῖν* de Horis in illius vocis locum substitutum ita posuit, ut saepius in Odyssia, saepissime in hymno Apollinis homerico usurpatum est, ut non tantum agere significaret quantum dono mittere, suppeditare; ita pastores dicuntur Procis *μῆλον, αἶγας ἀγινεῖν* (ξ 104; χ 198; non dissimiliter *ν* 213), omnes homines Apollini *ἑκατόμβας* (h. in Apoll. 57. 249. 260. 366). Horae finguntur scilicet Apollini flores portare, quos non ipsae verum terra subito effuderit, simulatque Zephyrus rorem spirans veris initium fecerit. Illud igitur Zephyri mentione adiecta Callimachus effecit, ut qui legerent ingentem florum vim Zephyro spirante uno temporis puncto e terra emergentem sibi repraesentarent. Zephyri enim vel, ut latine loquamur, Favoni aura genitabilis existimabatur, qui simulatque primum spirasset, inde ver initium capere. Omnino illa Lucreti nobilissima conferenda sunt (I 9) *nam simul ac species patefactast verna diei et reserata viget genitabilis aura Favoni*, illa quae secuntur; pariter illud Vergili (Georg. II 330): vere *parturit almus ager Zephyrique trementibus auris laxant arva sinus*; pariter illud horatianum

[1]) Hic versus satis, si opus est, defenditur illo nicandreo Ther. v. 233 collato *τοῖά περ ὧραι εἰαριναὶ φορέουσιν ἐνεψιήματα κούραις*, poma dicit.

[2]) Scio equidem non tantum hoc Cypriorum loco Horas cum floribus consociari; Hesiodus enim pariter Horas finxit Pandoram floribus coronasse (op. 74) *ἀμφὶ δὲ τὴν γε Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.* A Pindaro non tantum Horae (O. XIII 17) *πολυάνθεμοι* dictae sunt, verum idem narravit in dithyrambo Atheniensibus composito ver Horarum thalamo reserato flores in terras detulisse (fr. 75, v. 13) *ἐναργέα δ' ἐμὲ σάμαθ' οὐ λανθάνει, φοινικοεάνων ὁπόθ' οἰχθέντος Ὡρᾶν θαλάμου εὐόδμον ἐπάγῃσιν ἔαρ φυτὰ νεκτάρεα.* Sequitur *τότε βάλλεται τότ' ἐπ' ἀμβρόταν χθόν' ἐραταὶ ἴων φόβαι, ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται.*

(c. I 4, 1) *solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni*, tum paucis versibus interiectis (v. 9) *nunc decet aut viridi caput impedire myrto aut flore, terrae quem ferunt solutae*[1]). At ex omnibus unus locus simillimus est Catulli (LXIV 282): Chiron flores Pelei obtulit, quos *aura parit flores tepidi fecunda Favoni.*

83 Cyrenaei hieme, cum tanta florum varietas non iam praesto esset, crocum in Carnei ara deponere solebant, qui bruma viret et colligitur, ut scripsit Plinius nat. hist. XXI 34; eodem spectat veriloquium, quod in Etymologico Magno 539, 48, item in scholio ad hunc Callimachi locum legimus. Cyrenarum regionem crocum efferre multi antiqui scriptores testantur, horum in numero Theophrastus hist. plant. IV 3, 1; VI 6, 5; caus. plant. VI 18, 3; Plinius XXI 31; Synesius epist. 134 Herch.; multi alii[2]). Atque non solum Plinius sed antiquissimus testis, Theophrastus (h. VI 6, 5; c. VI 18, 3), adseveravit Cyrenis praeter ceteras regiones crocum acutissime olere, causas quaesivit. Fuerunt autem insequenti aetate, qui Corycio palmam deferrent, sed plerumque unguentum crocinum potius quam flores significant. At quaestionem de unguentorum praestantia instituere nolo. — *ἀέναον πῦρ* nescio an Callimachus e Pindaro suo prompserit qui (Pyth. I 5) *τὸν αἰχμητὰν κεραυνὸν . . . ἀενάου πυρός* scripsit. Quod si pro certo habere liceret, iam constaret Callimachum apud Pindarum *ἀενάου* legisse, non *αἰενάου*, quod confidenter restituit Schröder, *v* 109 *ἐν δ' ὕδατ' αἰὲ νάοντα* collato. At fatendum est iam Pindarum interdum hac voce usum esse in perennis, perpetui, non tantum perpetuo fluentis, decurrentis, significationem; cfr. Nem. XI 8 *καὶ ξενίου Διὸς ἀσκεῖται θέμις ἀενάοις ἐν τραπέζαις*; Ol. XIV 11 *αἰέναον σέβοντι πατρὸς Ὀλυμπίοιο τιμάν*, ut non esset necesse Callimacho certum exemplar imitari. *ἀέναος* Callimacho iam „constans" erat, ut illi liceret *ἀεί* eidem sententiae addere. — 84 *περιβόσκεται* de favilla vel cinere intellego qui a foci margine ad medium ignem paullatim progressus, dum hic exstinguitur, carbones quasi pascatur, circumedat. Verbi *περιβό-*

[1]) Nam hoc *solutae* cum illo *solvitur* coniungendum est, non ita explicandum, quasi contrarium illi *impedire* sit, ut Kießlingius scripsit (ad loc.). — Favonio in veris primi descriptionibus horatianis certus locus est: c. III 7, 1 *quem tibi, candida, primo restituent vere Favonii*; IV 9 *frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas interitura*; ep. I 7, 13 *cum Zephyris . . . et hirundine prima.*

[2]) Testimonia magna e parte iam collegerat Spannheimius ad loc.

σκεσθαι ita prorsus positi nullum aliud exemplum novi; sed νέμεσθαι de igni omnia devorante iam usurparat Homerus Ψ 177 ἐκ δὲ πυρὸς μένος ἦκε σιδήρεον, ὄφρα νέμοιτο, post eum multi cum de igni tum de volnere vel de cancro carnem depascente. Elegantia huius loci in eo posita est, quod ignis iam non vorat, sed cinere voratur. Cyrenaei igitur nunquam patiuntur cinerem carbones hesternos depasci, sed nova cotidie reponunt. Cyrenaeorum ara Carnei talis fortasse fuit Olympiae qualis ara Iovis, e cinere congesta (Paus. V 13, 11; 15, 9), nisi quod Carnei ara perpetuo ipsa ardebat, cinerem ad aram Olympicam augures Elei e foco Prytanei uno certo die in anno portabant, non ara sed focus in Prytaneo ut nunquam exstingueretur, curabant. Talis religionis ut ignis perennis ardeat, exempla graeca supersunt pauca[1]), in civitatibus tamen ita inter se remotis haec consuetudo fuit, ut in proclivi sit coniectare aetatem fuisse, cum ea multo latius pateret. Non longe ab Acacesio in Arcadia, eodem loco ubi Δεσποίνης templum fuit, Panis sacellum erat, cui ignis perennis ardebat (Paus. VIII 37, 11): item Mantineae in honorem Cereris et Κόρης (Paus. VIII 9, 2). Ignis delphicus perennis, pariter atque olympicus, focus fuit totius civitatis communis: Orestes enim Aeschyli Choeph. v. 1036sqq. narrat se confugisse ad μεσόμφαλόν θ' ἵδρυμα, Λοξίου πέδον, πυρός τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημένον[2]), φεύγων τόδ' αἷμα κοινόν, matris scilicet; tum addit οὐδ' ἐφ' ἑστίαν[3]) ἄλλην τραπέσθαι Λοξίας ἐφίετο. Inde sequitur ut illa lux quoque ἑστίας fulgor interpretanda sit. Atque recte iamdudum eodem referuntur versus hymni homerici XXIV tres primi Ἑστίη, ἥ τε ἄνακτος Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις, αἰεὶ σῶν πλοκάμων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον; oleo enim flammam pascebant. Non in prytaneo[4]) sed in templo Minervae Poliadis

[1]) Laterculum a Gruppio (griech. Myth. 727, 1) comparatum pro virili parte augere studui At plura habui quae, cum illuc non facerent, demerem quam quae adderem; velut lucernam in templo Veneris Agyrinensi, de qua mox loquar.

[2]) Recte Wilamowitzius, ut illud κεκλημένον enuclearet, τόπον ἔνθα κέκληται similia comparavit.

[3]) ἐφέστιον tradi videtur; ἐφ' ἑστίαν Turnebus restituit.

[4]) Nescio quo indicio freti Frazer (ad Paus. VIII 53, 9) et qui eum secuntur Angli paene pro certo venditent in omnium civitatum graecarum prytaneis ignem sempiternum arsisse. Polluci enim nimium tribuunt, qui (I 7) scripsit οὕτω (ἑστίαν vult) δ' ἂν κυριώτατα καλοίης τὴν ἐν πρυτανείῳ, ἐφ' ἧς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον ἀνάπτεται. At, ut mittamus ἐπί τινος ἀνάπτεσθαι aptius in lucernam

non focus sed lucerna ardebat illa aurea inextincta (ὁ ἄσβεστος λύχνος) a Callimacho artifice ficta, de qua miracula Pausanias narrat (I 26, 6. 7), oleum illi semel in anno certo quodam die infundi, illius linamentum e filo Carpasio constare, quod unum flammis non sit obnoxium[1]). Lucerna pariter Veneri Agyri ad mare sub divo ardebat, quam neque ventus exstingueret neque pluvia aspergeret, si testibus Ampelio VIII 16, Augustino de civ. dei XXI 6, 1 credimus, qui daemonibus haec tribuit; at fuit haec religio in urbe primitus non graeca fortasse ipsa barbarica. Ita prorsus non longe ab Aetna Adrani, non Vulcani in templo ignem perennem arsisse comprobavit L. Malten (Arch. Jahrb. XXVII 1912, 244). De lucerna quae pariter in templo Ammonis ardebat[2]), Plutarchus Cleombrotum maiora miracula narrasse

cadere quam in focum, verisimile ergo esse illum τὸν ἄσβεστον λύχνον Atheniensium voluisse, prytaneum vero cum Poliadis templo confudisse, Pollux non tam distincte loquitur ut ei facile credamus. Accedit quod Pausanias focum prytanei olympici nunquam exstinctum quasi novum quiddam et mirabile narrat. Quod semel in anno Lemnii omnibus ignibus exstinctis Delum navem mittebant, quae ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ignem reportaret, dum ipsi urbem purgant (cfr. Philostrati heroici XIV p. 325), inde fortasse licebit, si licebit, concludere hanc ἑστίαν deliam perpetuam esse, ut delphicam. Iovi enim Ἐλευθερίῳ Graeci cum post pugnam Plataeensem Plataeis aram statuere vellent, illis a Pythio responsum est, ne facerent, priusquam ignem purum Delphis ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας repetivissent, Persas enim focos polluisse; id quod narrat Plutarchus Aristid. 20. Etiam certo intervallo Athenienses ignem Delphis arcessivisse e titulis Delphis Atheniensium thesauro inscriptis colligitur: cfr. quae Dittenberger monuit, syll.[2] 611, adn. 1; testimonia e titulis delphicis nuper collegit Colin, Fouilles de Delphes III 2, 39 sqq. E tanta dico rituum similitudine fortasse concludi potest Delios hac in re religionem delphicam imitatos esse. At ultra progredi omnino non licet. Legimus in Piscatoribus pseudotheocriteis (XXI 34 sqq.) τί γὰρ ποιεῖν ἂν ἔχοι τις κείμενος ἐν φύλλοις ποτὶ κύματι μηδὲ καθεύδων· ἀλλ' ὄνος ἐν ῥάμνῳ τό τε λυχνίον ἐν πρυτανείῳ· φαντὶ γὰρ ἀγρυπνίαν τόδ' ἔχειν. Fateor lucernae prytanei insomniae exemplum alicuius ponderis esse; at quid lucernae cum foco commune? Prytanes noctu ad parvam lucernam vigilabant, rei publicae administrandae custodiendae operam dantes. Ad hanc vero quaestionem nihil attinet Euphorionem narrasse (ap. Athen. XV 700 d) Dionysium II. Tarentinis λυχνεῖον „candelabrum" donasse, quod tot candelas caperet quot dies annus haberet; nam profecto omnes una ardebant, non ita ut alia aliam consequeretur. Non omnino recte iudicat Süß PW VIII 1288 sq.

[1]) Reliqua de illa lucerna testimonia collegerunt Jahn Michaelis.

[2]) Nonne Vergilius, cum de Iarba Hammonis filio scriberet (Aen. IV 199) *templa Iovis centum latis immania regnis, centum aras posuit vigilemque sacraverat ignem, excubias divum aeternas,* ad ritum religionis Ammonis se applicavit?

finxit (de def. orac. 410b sqq.) quam quae Pausanias de lucerna Atheniensi iactat. At ne religionem Carnei ex Ammonis ritu explicemus, obstat quod illic lucerna, hic, ut e cineris mentione apparet, focus perennis ardebat.

Callimachus iam a ritibus cottidianis ad aetatem revertitur, qua Carnei caerimoniae in Libya et annuae et perpetuae institutae sunt. Theraei bellatores describuntur patriae religionis memores feriis Carneis Apollinis in honorem saltantes cum uxore praesentis et benigne aspicientis. Fabulam in praesentia neglegimus, nisi quod e vv. 88 colligimus Callimachum pariter atque Herodotum (IV 157. 169) credidisse Theraeos aliquantum temporis Azili habitasse, antequam Cyrenas conderent. Id quod ea de causa grave est, quia nescio an demonstrari possit Callimachum hoc loco Herodotum ante oculos habuisse. Cui suspicioni non obstat, quod Callimachus illum locum *Ἄξιλις*, Herodotus *Ἄξιριν* appellavit; quis enim mirabitur graecos in voce barbara pronuntianda interdum haesitasse? Atque Callimachus illam vocem ita scripsit, quidni? ut eius cives illa aetate efferebant, non ut in Herodoti exemplaribus scriptam legerat. Utramque formam novit Stephanus[1]). Favet contra illi opinioni verborum mirus consensus: Herodotus enim (IV 157) Azirin locum dixit, *τὸν νάπαι . . . κάλλιστα ἐπ' ἀμφότερα συγκληίουσι*, Callimachus eandem Azilin (v. 89) silvis densam, *πυκινὴν νάπαις* dixit; illud vero quod est *νάπαι* non

[1]) In transcursu tamen moneo non prorsus constare quomodo Callimachus scripserit. Legimus enim apud Stephanum Byzantium s. v. *Ἄξιλις· πόλις Λιβύης· οἱ δὲ περὶ Σαλούστιον οὐ πόλιν, ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι.* Sallustium interpretem illum Callimacheum dicit nobilissimum, a quo etymologos, lexicographos permulta mutuatos esse nunc inter omnes constat; ubi haec Sallustius disseruit nisi in adnotatione ad hunc ipsum Callimachi locum? Accedit quod scholiasta item adnotavit *Ἄξιλις ὄρος καὶ ποταμὸς Λιβύης*; pendet scilicet ille pariter a Sallustio. Sequitur apud Stephanum *τινὲς δὲ Ἄξιριν μετὰ τοῦ ρ̄ λέγουσι τὸν χῶρον.* Cum Herodotus omnino non afferatur, verisimile est haec quoque e Sallustii commentario fluxisse; verisimilius tamen Callimachum *Ἄξιλιν* scripsisse, *Ἄξιριν* a scribis vel a grammaticis Herodoti memoribus interpolatum esse quam illum *Ἄξιριν* voluisse, *Ἄξιλιν* corruptelam esse. Quantopere illa nomina barbara varient, ostendit forma *Ἄξιρον*, quam Stephanus e Charace affert; ostendunt formae *νάξαρην* et *ναξάριδος* in codice Stadiasmi Maris Magni § 46, 47, etiamsi depravatae sint. — Ethnica ab *Ἄξιρις* Stephanus ipse finxit, non apud scriptores legit, id quod ipsa eius verba paene confitentur: pariter enim illa a neutro atque a feminino derivat, utriusque formae rationes explicat: locos ergo Callimachi et Characis novit, nullos alios.

tam saepe in hunc sensum, ut saltus sit, usurpatur, ut hic consensus casu factus esse videatur. Pariter e v. 91 concludimus Callimachum fecisse nympham Cyrenen leones in Africa interfecisse, non in Thessalia. Sed haec hactenus: Cyrenarum enim historiam fabularem in alterum caput reicimus: nunc singula interpretamur.

85 sqq. plerique vel potius omnes ita intellexisse videntur, quasi Callimachus diceret Theraeos cum feminis Libyssis, coniugibus futuris, saltasse. At fateor me exempla desiderare, ubi *μετά* cum tertio casu in sensum societatis iungatur. Scio fieri potuisse ut Callimachus locorum quorundam homericorum memor sibi hac structura uti licere arbitraretur. Ut Homerus scripserat *β* 148 *τὼ δ' ἕως μὲν ᾧ ἐπέτοντο μετὰ πνοιῇσ' ἀνεμοῖο*, quod sane prorsus singulare est; scripserat *E* 85 *Τυδεΐδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη, ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι ἢ μετ' Ἀχαιοῖς*. Intellegendum est: a qua parte staret, utrum inter Troianos an inter Achivos. At potuit quispiam interpretari: „cum Achivis, cum Troianis"; fuit etiam qui ita interpretaretur, nam Aristonicus (ex huius enim copiis illam observationem fluxisse ipsa scholii forma ostendere videtur) disertis verbis cavet ne quisquam ita intellegat. Locus gemellus est *E* 834. Similis quoque *E* 702 *ὡς ἐπύθοντο μετὰ Τρώεσσιν Ἄρηα*; potes „inter", potes „a partibus Troianorum" vertere. At nolo exempla congerere. Aliquod tamen discrimen intercedit inter hunc Callimachi locum et reliquos quos proposui. Utcumque vero id est, Callimachum ita loqui potuisse minime nego, nego fecisse: saltatio enim illa ritus Carneorum cyrenaei *αἴτιον* est; Callimachus vero pueros saltare iussit, non puellas. Intellegamus opus est Theraeos inter flavas Libyssas saltasse. Quasi tabulam quandam sibi oculis repraesentat Callimachus: in medio adulescentes armati saltant, feminae Libycae peregrinos circumstant saltationemque inauditam stupent: de summo colle Phoebus et Cyrene arridet. Fulgent saltantium arma, fulget flava Libyssarum coma.

85 Ab armatis Carnea saltata esse ex illo *ζωστῆρες Ἐννοῦς* colligo; quid inde ad Carneorum indolem cognoscendam redundet, propediem brevissime perstringam (cfr. p. 66). *ζωστῆρες Ἐννοῦς* prorsus singulariter dictum est. Quid Callimachus sibi voluerit, nullus e Graecis poetis tam bene sub oculis ponet (illud enim Aeschyleum Agamemn. 375 satis diversum est) quam Isaiae interpres

in vaticinio illo nobilissimo de Messia XI 5 *καὶ ἔσται δικαιοσύνῃ ἐζωσμένος τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ καὶ ἀληθείᾳ εἱλημένος τὰς πλευράς.* Pariter milites Theraei bellum lumbis circumdederant, lumbos bello cinxerant. — 87 *τέθμιος*, ut ipsa sonorum ratione demonstratur, vox Pindarica est (N. XI 27, I. VI 28), qua Callimachus saepius usus est, praeter hunc locum h. in Dian. v. 174, fr. 110 v. 2; pariter nomine *τεθμός* (fr. 105 v. 2). Hic autem prorsus item de festo sollemni usurpatur atque a Pindaro Nemeorum loco illo quem attulimus *πενταετηρίδ' ἑορτὰν Ἡρακλέος τέθμιον.* — *Καρνειάδες ὧραι* ita comparatum est ut illud poetae aequalis, Theocriti VII 31 *ἃ δ' ὁδὸς ἅδε θαλυσιάς.* Atque, nonne *Καρνεῖαι* seu *Καρνειάδες* cum *ὧραι* non ipse Callimachus iunxerit sed e sacrorum consuetudine illam structuram deprompserit, qua nescio quem religiosae vetustatis situm huic carmini induceret, diu anceps dubitavi. Saepe enim Coorum in fastis (38 Pat. = Syll. 617, vv. 11. 15. 22) *τὸ ἄτερον ἔτος ἐφ' οὗ κα ἔωντι Καρνεῖαι*, non *Καρνεῖα*, legimus; intellegere enim licet Carnea tertio quoquo anno esse celebrata, Carneorum tempus tertio quoquo anno, non quotannis recurrisse. At haec, utpote quae prorsus incerta sint, non premo. Nescio etiam an illud euripideum Alc. 449 *Σπάρτᾳ κύκλος ἀνίκα Καρνείου περιτέλλεται ὥρας μηνός*, ubi illud *ὥρα* quasi redundat, eodem spectet, Euripides videlicet ipse sollemnem formulam secutus sit. At fieri potuisse ut Callimachus Euripidis vestigiis insisteret, concedo.

88 *πηγὰς Κύρης* Callimachus cum commemoret ut Cyrenarum locum significet, indicat se Cyrenarum nomen ab illo fonte derivare. Idem fecerat Pindarus: nam cum ipse Damophilo optat, ut ei liceat domum reverti *ἐπ' Ἀπόλλωνός τε κρήνᾳ συμποσίας ἐφέπειν* (P. IV 294), verisimile est illum de Cyrae nomine cogitasse. Accedit quod Apollinis templum, in quo scilicet Carnea agebantur, prope fontem positum erat[1]). Callimachus igitur haec fere intellegi vult: „Aziri Theraei Carnea prima celebrarunt; nondum enim licebat fonti appropinquare, ad quem nunc congregati sumus". — Vocabulum *Κύρη* ad Herodiani doctrinam *παροξυτονεῖται*: testimonia congessit Schneider ad hunc locum; at fatendum illum secundum canonem hoc vocabulum accentu insignivisse, non pronuntiationem observasse. — 91 Quem locum Callimachus *Μυρ-*

[1]) Cfr. in praesentia Malten. 204.

τοῦσσαν, eundem Apollonius (Argon. II 505) *Μυρτώσιον αἶπος* dixit. Hic formam Cyrenaeorum praetulit, ille nomen collis myrtis obsiti ionico huius hymni colori aptavit. — 92 *σίνις* ita cum genetivo obiecti iugatur, ut potius furem quam vastatorem significet, ut in Epigonorum fragmento illo *Αὐτόλυκον πολέων κτεάνων σίνιν Ἄργει κοιλῷ*. Iamdudum enim perspectum est, qui in scholio ad Oedip. Colon. v. 378 Sophoclis nomine insigniti sunt hexametri, eos Epigonis reddendos: qui ex Epigonis laudati, Sophocli tribuendos[1]). Leonem *σίντην* iam dixerat Homerus Λ 480 Υ 164. — 93 Quod chorus θεῖος dicitur, homericum est: sed quod ϑ 264 *πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν* de planitie saltantium pedibus percussa dictum erat, ipsos hic ad saltantes translatum est.

Huius partis interpretatione absoluta non prius ad sequentem pericopam transgrediemur, quam paucis monuerimus ex hoc loco aliquid ad Carneorum indolem cognoscendam redundare. Cum enim Demetrius Scepsius (ap. Athen. IV 141 e) testaretur Carnea apud Lacedaemonios quasi quandam militaris cultus (ita enim *στρατιωτικῆς ἀγωγῆς* interpretor) imitationem esse, in tabernaculis enim omnes convivari, omnia signo dato fieri, fuerunt tamen qui, ut S. Wide (Lakonische Kulte 81), Demetrium illud signum vel praeconium, *κήρυγμα* dico, falso interpretatum esse opinarentur, signum necessarium esse, quotiescumque opus esset multitudinem dispersam certum aliquid universam una facere. At ut omittamus, quod a Nilssonio (Griech. Feste 123) observatum est, Carnea ab Hesychio *ἀγητόρια* appellari (cfr. supra p. 32 adn.), Callimachus, cum illud festum Cyrenis a bellatoribus institutum dicat, paene disertis verbis testatur saltationem illam sacram virorum armatorum fuisse. Atque consentaneum est hoc testimonium Demetrii testimonio fulcire, non alterum ab altero divellere, indeque concludere non alium fuisse Carneorum ritum Spartae atque Cyrenis. Neque enim mirum est colonos civitatis novae novum *αἴτιον* excogitasse, ut antiquom morem cur sequerentur, peculiarem sibi causam vindicarent. Quando vero hoc *αἴτιον* excogitatum sit, incertum; neque video, cur non ipse demum Callimachus id fecerit, hanc narrationem fabulae de Cyrenis conditis sollemni inseruerit[2]).

[1]) Cfr. Wilamowitz, homerische Untersuchungen p. 345 adn. 26.

[2]) Opportunitate data moneo inde quod Euripides dixerit poëtas, aoedos Spartae Carneis Alcestin cantaturos, non licere concludere hanc fuisse in illo

Adulescentes *ἰὴ ἰὴ παιῆον* invocant. Credas *ἀκούομεν* non de turba congregata sed de omnibus qui unquam illud cognomen audiverint, de omnibus hominibus usurpari; at pace Vahleni (p. 818) dicam, et hoc frigidius sit et, qua de causa quaestio quae non ad eos potissimum attinet, qui carmen recitant, hoc demum hymni loco, non longe ab exitu proponatur, frustra requiritur. Qui contra statuerit Callimachum simulasse se puerorum clamore aures identidem percutiente commotum orationem huc illuc deflectere, eundem consentaneum est concedere adulescentes Cyrenis *ἰὴ ἰὴ παιῆον* Carneis cecinisse, Callimachum, cum illas voces audiret, commotum esse, ut rursus praeconis partes in se reciperet et explicaret quando ille deus primo *ἰὴ ἰὴ παιῆον* invocatus esset. Narrat autem illum Delphis draconem confixisse populo hortante *ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἴει βέλος*. Hanc vocis, quae est *ἰὴ ἰὴ Παιάν* (nam *Παιάν Παιήων Παιών* raro distinguuntur) originationem multi iampridem narraverant, antiquissimi, quantum video, Ephorus (ap. Strab. IX 422) et Aristotelis discipulus Clearchus Solensis (ap. Athen. XV 701 c)[1]). In hac vero re testes dissident, quod alii, ut Ephorus, Delphorum populum illas voces sustulisse narrant, alii Latonam, ut Clearchus, Duris (Et. M. s. v. *Ἰήιος*), Apollodorus Atheniensis (ap. Macrobium Sat. I 17, 7)[2]). At quam leves huiusmodi discrepantiae sint, docebit Apollonii Rhodii locus Argon. II 711 sqq., ubi nymphae Coryciae illis vocibus sublatis Phoebum Pythonem transfigere hortatae esse narrantur. Atque tamen tam non grave discrimen inter Callimachi locum, quem disceptamus,

festo consuetudinem, ut ea heroina celebraretur. Euripides enim non solum scripsit (Alc. v. 445 sqq.) *πολλά σε μουσοπόλοι μέλψουσι . . . Σπάρτᾳ κύκλος ἀνίκα Καρνείου περινίσσεται ὥρας μηνὸς ἀειρομένας παννύχου σελάνας,* sed addidit *λιπαραῖσι τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάναις*. Non igitur certum festum dicit, in quo in primis Alcestis laudetur, sed significat omnes poëtas illam celebraturos.

[1]) Qui non solum illud *ἰή* sive *ἰή*, verum etiam id quod est *παιών* ex illo Apollinis facinore explicare ausus est: illum enim *παῖ*, id est „puer", cum puer etiam tum esset, invocatum esse.

[2]) Macrobii enim quae hoc capite continentur, ex Apollodori copiis fluxisse demonstrarunt Münzel. de Apollodori *περὶ θεῶν* libris (Bonnae 1883), p. 14 sqq.; Hefermehl, studiorum in Apollodori *περὶ θεῶν* fragmenta genavensia (Berolini 1905), p. 5 sqq.; C. Reinhardt, de Graecorum theologia (Berolini 1910, 101 sqq.). Apollodorus scilicet illud *ἰέναι* ad rationem suam detorsit ad solemque rettulit. — Carminis Atheniensis Delphis incisi (B C H XVIII 352, 17) nulla est auctoritas, quandoquidem tantopere Atheniensium postulatis favet, ut genuinam fabulae formam prorsus neglegat. Accedit, quod hic locus male mulcatus est.

et Apollonium intercedit, ut opus sit credere alterutrum alterum imitatum esse: quin Apollonius Callimachum imitatus sit, dubium esse non potest. Atque cum hanc quaestionem solvisse permagni intersit ad vim extremae pericopae percipiendam, in ea aliquantum commorari non gravabor.

Apollonius scripsit Argonautis circum Apollinis aram saltantibus et *Ἰηπαιήον' Ἰηπαιήονα Φοῖβον* vocantibus Orphea cecinisse (II 705) *ὥς ποτε πετραίῃ ὑπὸ δειράδι Παρνησσοῖο Δελφύνην τύξοισι πελώριον ἐξενάριξεν, κοῦρος ἐὼν ἔτι γυμνός, ἔτι πλοκάμοισι γεγηθώς. Ἰλήκοις· αἰεί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἔθειραι, αἰεὶ ἀδήλητοι· τὼς γὰρ θέμις· οἰόθι δ' αὐτὴ Λητὼ Κοιογένεια φίλαις ἐν χερσὶν ἀφάσσει· πολλὰ δὲ Κωρύκιαι νύμφαι, Πλείστοιο θύγατρες, θαρσύνεσκον ἕπεσσιν, Ἰὴ ἰὲ κεκληγυῖαι· ἔνθεν δὴ τόδε καλὸν ἐφύμνιον ἔπλετο Φοίβῳ.* — Ambos eandem fabulae formam sequi luce clarius est: Callimachus enim quamquam brevissime loquitur, quasi rem notam potius in mentem revocet quam ipse exponat, tamen, quid voluerit, dubium esse non potest. Apollinem enim cum draconem configeret, puerum vel potius infantem fuisse ipsi Delphi testantur clamantes (v. 103) *εὐθύ σε μήτηρ γείνατ' ἀοσσητῆρα.* Idem inde concluditur, quod populus delphicus primum *ἐφύμνιον* illud invenisse dicitur, scilicet priusquam Apollo aliud audivisset. Eodem pariter pertinet, quod ille deus narratur *ἐπιδείκνυσθαι*, demonstrasse artem suam: neque igitur ea antea usus erat. Illam igitur fabulae formam Callimachus secutus est, quam antiquissimus nobis in litteris graecis praebet Euripides Iphig. Taur. v. 1248 sqq. *ἔτι μιν* (draconem dicit) *ἔτι βρέφος, ἔτι φίλας ἐπὶ ματέρος ἀγκάλαισι θρῴσκων ἔκανες, ὦ Φοῖβε.* Item Clearchus *ἐν τῷ προτέρῳ περὶ Παροιμιῶν*, quem locum nuper attulimus, scripsit, cum Latona ambos pueros Delphos duceret cumque alterum manibus gestaret, Pythonem in illos impetum fecisse; Latonam vero, cum peropportune accideret quod Apollo arcum teneret, vocibus illis *ἴε παῖ* animos ei addidisse. Similia narrat Duris. Delphos autem iam inde a satis antiqua aetate haec credidisse e vasculis colligimus: vasculum enim nigris figuris pictum etiam nunc exstat (Él. ceram. II 1 A), quo Apollo infans, quem Latona manibus gerat, in draconem sagittas coniciens repraesentatur. Atque umbilicum et laurum delphicam nobis in illa pictura dispicere videmur. Eadem fere ostendit vasculum berolinense 2212, rubris figuris depictum generis illis quidem seve-

rioris[1]). Item Clearchus deam in lapidem ascendisse scripsit, qui aetate sua sub pede Latonae aëneae etiam tum esset; fuit ergo Delphis signum aëneum Latonae Apollinem arcum intendentem sustinentis. Apud Plinium vero leginus (XXXIV 77) Romae in aede Concordiae opus Euphranoris servari, Latonam puerperam Apollinem et Dianam infantes sustinentem. Atque ad exemplum Euphranoris statuarum duas compositiones exculptas esse, alteram in museo Capitolino, alteram item Romae apud Torlonia principem servatam, pariter complures nummos civitatum Asiae Minoris aetate imperatorum esse incusos contendit Theodorus Schreiber[2]). At rectissime adversus eum monuit Aemilius Reisch[3]) signum certe Capitolinum, quod resarcitorum rabiei minus obnoxium fuit, genus sculpendi prae se ferre, quod a quarti saeculi, quo Euphranor floruit, elegantia et quasi mollitie toto caelo distet, deae vero Latonae corpus ita et vestitum et formatum esse, ut et matronas et artem annorum inter 470 et 460 a. Chr. n. deceat. Quae sane omnia et acute observata et recte conclusa videntur: contra haec signa, pariter nummos quos nuper diximus ab exemplo illius statuarum compositionis pendere quam Clearchus descripserit, mihi quidem ille non persuasit. Nam cur Clearchus dixerit Latonam alterum tantum e liberis sustinere, quamquam Latona ambos gestans efficta esset, frustra explicare conatus est. Nec magis probabilem causam invenit, cur Latona in utroque vasculo unum Apollinem portans facta sit, siquidem ambo a compositione illa clearchea pendeant. Quid? signum Delphis stetisset, quo Latona ambos liberos portans repraesentaretur, Clearchus qui illud vidisset, pictores, incisores qui ad illius exemplum vascula pinxissent nummos excudissent, unum Apollinem descripsissent effinxissent? Atque, ut concedam hoc fieri potuisse, quibus argumentis freti id contendimus quod iam demonstrari non potest, illas statuas illos nummos a signo tam dissimili necessario pendere? Ego vero in contrariam prorsus opinionem inclino, ut credam et nummos et statuam ad exemplum operis nobilissimi efficta esse, quod Ephesi in templo Dianae fuisset; quod scio demonstrari non posse, sed inde contendo facillime explicari, quod eadem compositio excusa est in nummis civitatum Asiae Minoris,

[1]) Imagines praesto sunt in Roscheri lexico III 3406 sqq.

[2]) Apollon Pythoktonos (Lipsiae 1879), 76 sqq.

[3]) Festgruß aus Innsbruck an die XLII. Philologenversammlung, 153 sqq.

Ephesi Mileti ionicarum, Attudae caricae, Mastarnae Tabalae lydiarum, Stertorii Colossarum phrygiarum[1]), nullius contra civitatis continentis graecae; neque enim illud hinc repeti potest, quod Latona dea asiatica fuit; nam aetate certe imperatorum romanorum etiam in Graecia, quae proprie dicitur, colebatur.

Ut iam ad Callimachum et Apollonium revertamur, ambo eandem eiusdem fabulae formam exprimunt: ambo non Apollinis epitheton *ἰήιον*, sed invocationem *ἰήιε* explicare student. Quod in Callimacho statim apparet, Apollonii contra v. 712 sunt qui scribant *θαρσύνεσκον ἔπεσσιν, Ἰήιε κεκληγυῖαι*, quasi sit illud *ἰήιε* casus vocativus adiectivi quod est *ἰήιος* ab *ἰᾶσθαι* derivati, quo usi sunt Aeschylus Agamemn. v. 146, Sophocles Oedip. reg. v. 174, Aristophanes Lysistr. v. 1280. At ipse Apollonius monet ab illis Nympharum coryciarum vocibus non *ἐπίκλησιν* sed *ἐφύμνιον* formatum esse: quo autem iure certum quoddam cognomen *ἐφύμνιον* appellaretur? Quae vox tantum in versum vel in versus partem quadrat, quae intervallis interiectis recurrat, ut illud *ἰὴ ἰέ* apud Callimachum. Quid plura? Etiam nescio an quaerere liceat, qua ratione illud vocabulum *ἰήιος* formatum sit; nam ipse certe nullam aliam eiusdem formae vocem novi. Tragoediarum scriptores „salutarem" voluisse sensus et structura locorum, quos laudavimus, paene clamant, sed qui *ἰήιος* a *ἰάομαι* derivatum esse potest? Invocationem *ἰηπαιῆον*, etiam adiectivum, si ita loqui licet, hypostaticum *ἰηπαιήων* iam in hymno Apollinis homerico deprehendimus (v. 499 *αὐτὰρ ἐπὴν σίτοιο μελίφρονος ἐξ ἔρον ἧσθε, ἔρχεσθαί θ' ἅμ' ἐμοὶ καὶ ἰὴ παιῆον ἀείδειν*; 516 *οἱ δὲ ῥήσσοντες ἕποντο Κρῆτες πρὸς Πυθὼ καὶ ἰὴ παιῆον ἄειδον*; at v. 272 *ἀλλά τοι ὡς προσάγοιεν Ἰηπαιήονι δῶρα*). Nonne *ἰήιος* ab *ἰή* formatum, tum cum *ἰᾶσθαι* commixtum est? At obstat spiritus asper, quem et fabula delphica requirit et paean ionicus Aesculapii, quem supra (p. 17) laudavimus, oculis paene subicit: illud enim *ι*, a quo vocabulum *ιεπαιαν* orditur, consonae vicibus fungitur[2]). At constat Ionas, illos quidem qui in Asia habitarent, spiritum asperum efferre non potuisse; praeterea inde quod *ι* in paeanis numeris pro consona est, nescio an demonstretur fuisse cum littera illa adspiratione quadam praedita esset, sine dubio demonstratur eandem illa iam

[1]) Cfr. Head hist. numm.[2] in ind.

[2]) Cfr. Wilamowitz, Nordionische Steine p. 45.

spoliatam esse. Item ab *ἰὴ* illud *ἰήτε* pindaricum formatum est (paean. VI 121 *μέτρα παιήόνων ἰήτε νέοι*), ut recte Schröder observavit.

Utcumque id est, hoc mihi effecisse videor, et Apollonium et Callimachum originem vocis in sacris sollemnis *ἰὴ ἰέ* explicare studuisse[1]). Nunc vero demonstrare in animo habeo Callimachum ab Apollonio expressum esse, non secus. Qua enim de causa hic iusto carmini epico ipsa Orphei precantis verba inseruit *ἰλήκοις· αἰεί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἔθειραι, αἰὲν ἀδήλητον· τὼς γὰρ θέμις*, quae cum oratione obliqua praecedenti pugnant, nisi ut Callimacho gratificaretur? Etiam illud *τὼς γὰρ θέμις* ita supervacaneum est, ut ipsum confiteri videatur se invitum carmini a poëta inculcatum. Quid plura? Nunc demum intellegitur, quid ille versus *ἔνθεν δὴ τόδε καλὸν ἐφύμνιον ἔπλετο Φοίβῳ* sibi hoc loco velit: Apollonius Callimachi carmen laudat[2]).

Iam omnia transacta essent, nisi scrupuli restarent; neque enim sumere licet, quae Apollonius narrat, omnia ex hoc Callimachi loco fluxisse. A Callimacho enim Plistus fluvius hoc loco non commemoratur, sed in alio hymnorum loco illius mentio fit, ubi de oraculo delphico narratur, h. in Del. 91 sq. *ἀλλ' ἔτι κεῖνο θηρίον αἰνογένειον ἀπὸ Πλειστοῖο καθέρπον*. Item apud Callimachum Delphi Apollinem Pythonem ferire iubent, apud Apollonium nymphae coryciae. At nymphas corycias nemo religionis delphicae vel mediocriter peritus fuit qui ignoraret, siquidem iam

[1]) Cfr. tamen quae infra de Callimachi v. 104 disputabimus. — Nihil ex hac originatione ad pronuntiationem litterarum *η ει* redundat, nam, etiamsi illae non ita similiter sonarent, fieri potuit ut sive volgus seu poëta iocans dissimilitudines illas non tam graves in vocabulorum derivatione fingenda prorsus neglegeret: grammatici documento sunt, quantam sibi libertatem veteres in hoc genere vindicarint.

[2]) Vergilius, cum Herculis hymnum enarraret, tum partis postremae verba referret, Apollonium, ut solet, secutus est: Aen. VIII 287 *hic iuvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes Herculeas et facta ferunt, ut prima novercae monstra manu geminosque premens eliserit anguis, ut bello egregias idem disiecerit urbes, Troiam Oechaliamque, ut duros mille labores rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquae pertulerit. „tu nubigenas, invicte, bimembris, Hylaeum Pholumque manu, tu Cresia mactas prodigia et vastum Nemeae sub rupe leonem“* et quae secuntur. Rem vero multo prudentius administravit quam Apollonius: neque enim tantum invocationem sed Herculis virtutum iustam enumerationem chori verbis prolatam adiecit. Cfr Norden, Agnostos Theos p. 153.

Aeschylus Eum. 22 Pythiam illas venerantem fecit: *σέβω δὲ νύμφας, ἔνθα Κωρυκὶς πέτρα κοίλη, φίλορνις δαιμόνων ἀναστροφή.* Sequitur *Βρόμιος ἔχει τὸν χῶρον, οὐδ' ἀμνημονῶ, ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός, λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.* Item Sophocles nymphas corycias in illa caverna saltantes *Βακχίδας* appellavit Antig. v. 1126 sqq.: *σέ* (Liberum dicit) *δ' ὑπὲρ διλόφου πέτρας στέροψ ὄπωπε λιγνύς, ἔνθα Κωρύκιαι νύμφαι στείχουσι Βακχίδες, Κασταλίας τε νᾶμα.* Euripides pariter Bacch. v. 556 sqq. Liberum cum cacuminibus Corycii delphici coniunxit: *πόθι Νύσας ἄρα τᾶς θηροτρόφου θυρσοφορεῖς θιάσους, ὦ Διόνυσ', ἢ κορυφαῖς Κωρυκίαις*: sedi enim dei delphicae Nysa opponitur. At e titulis, qui in ipso illius antri aditu inventi sunt (Athen. Mitt. III 1878, 154), elucet illas nymphas in religione delphica non cum Libero sed cum Pane consociatas esse. Confusio proclivis unde orta sit, ostendit Pausanias, cum narret (X 32, 7) cavernam illam quidem Nympharum et Panis sacram esse, in ipsius Parnasi cacuminibus Thyadas Libero et Apollini bacchari. Atque idem Callimachus Cydippae fragmenti nuper reperti (Oxyrh. Pap. VII 27) v. 56 Xenomedis historias enarrans refert nymphas corycias Ceum ad insulam tum prorsus desertam venisse, cum ingens leo eas Delphis pepulisset: *ἄρχμενος ὡς νύμφῃσιν ἐναίετο Κωρυκίῃσι, τὰς ἀπὸ Παρνησσοῦ λῖς ἐδίωκε μέγας.* Callimachum Ovidius expressit ut tota Acontii epistula tum potissimum cum scriberet (v. 221): *insula Coryciis quondam celeberrima nymphis cogitur Aegaeo, nomine Cea, mari.* Idem Ovidius narrat Deucalionem et uxorem, ex omnibus hominibus solos diluvii superstites, Parnaso appulisse atque deos delphicos adorasse: Metam. I 320 *Corycidas nymphas et numina montis adorant fatidicamque Themin quae tunc oracla tenebat.* Scilicet, siquidem omnia antra inde ab Ulixis homerici aetate nympharum domus existimabantur, in nullum illa opinio aptius quadrabat quam in cavernam coryciam aureo illam quidem colore mirabilem; id quod Philoxenus (fr. 12 B ap. Antigonum Carystium 141 *αὐτοὶ γὰρ διὰ Παρνασσοῦ χρυσορόφων νυμφέων εἴσω θαλάμων*) quodammodo testatur quodque cum Pausaniae (X 32, 7) narratione optime concinit, etiam sine facibus in illa caverna satis longo spatio procedi posse. Apollonius igitur illam nympharum coryciarum mentionem undique in suum usum derivare potuit; unde verisimile sit eum illam derivasse, mox elucebit.

At, dixerit quispiam, Callimachus draconem non Delphynen

appellat[1]). Fateor illud nomen non tam nobile fuisse quam Pythonis, etiam plerosque qui illo usi sunt, ab Apollonio pendere saltem posse. Nam Suidam (204, 4), Etymologicum Magnum (322, 3), lexicographum Crameri (Anecd. Par. IV 14, 23) nil moror, cum constet eos non pauca de Alexandrinorum carminibus prompsisse. Neque scholiastis aut Euripidis Phoenissarum ad v. 232. 233 aut Callimachi hymni in Delum ad v. 91 aut Lycophronis ad v. 207 multum tribuo, quorum hic hos Apollonii versus etiam exscripsit. Minus eo inclinamus, ut Apollodorum bybl. I 42 nomen custodis, quam Tryphon antro corycio in Cilicia sito imposuisset, *Δελφύνην*, draconem feminam, e fabula Apollonio inferiore hausisse credamus: nam manifestum est, quotiescumque eadem nomina eaedemque fabulae ad antrum corycium delphicum atque ad cilicium relata sint, de Delphorum gloria detrahi, id est non poëtam hellenisticum sed fabulam antiquam delphicam et respici et impugnari. Neque tamen tali testi in hac quaestione multum dederim. At testimonia sunt quibus comprobetur illud nomen antiquius esse quam ut ab Apollonio fictum sit. Scholiasta enim Apollonii ad v. 706 adnotavit *Δελφύνην τὸ ὄνομα τοῦ δράκοντος οἱ μὲν ἀρρενικῶς, οἱ δὲ θηλυκῶς εἶπον, ὃ καὶ βέλτιον*[2]). De cuius nominis genere grammatici dissenserunt, illud verisimile est antiquom fuisse atque in non paucis fabulis occurrisse. Sed coniectura opus non est; aliud enim scholium eidem versui appictum est, *ὅτι Δελφύνης ἐκαλεῖτο ὁ φυλάσσων τὸ ἐν Δελφοῖς χρηστήριον, Μαιάνδριος*[3]) *καὶ Καλλίμαχος εἶπον*. Iam testem et Callimacho et Apollonio vetustiorem, Maeandrium Milesium rerum scriptorem nanciscimur; atque, cum Diogenes Laertius (I 28) testetur Callimachum in Iambis, ea quidem parte quae nobis nuper papyro reddita est (Oxyrh. Pap. VII p. 31 sqq., v. 103 sqq.), historiolam de Bathyclis poculo quod, sapientissimo cuique addicendum, unusquisque e septem sapientibus non sibi sed alii adiudicasset, e

[1]) Illum draconi nomen indidisse nullum, *Πυθώ* hoc loco Delphos significare mox demonstrabimus.

[2]) Hunc rursus locum Anonymus Crameri, cuius supra mentionem fecimus, expressisse videtur.

[3]) *Λεάνδριος* cum multis aliis locis tum hic traditur, sed pauci sunt, quibus genuina Maeandrii nominis forma servetur. Rhodiis iniquis litium iudicibus de finibus inter Samios et Prienenses non credimus historias quae Maeandrii nomine circumferrentur a multis falsas existimatas esse (titulorum prienensium ab Hillero collectorum nr. 37 v. 123).

Maeandrio sumpsisse, iam arbitramur Callimachum etiam in fabula de dracone adversus Apollinem pugnante Maeandrium expressisse. Id quod in illius consuetudinem aptissime quadrat: ita enim prorsus Cydippae historiam de Xenomede Ceo rerum scriptore ionico non solum deprompsit, sed etiam se deprompsisse gloriatus est Cydippae fragmenti nuper inventi v. 53 sqq. (Oxyrh. Pap. VII 27). — Sequitur in scholio *δράκαιναν δὲ αὐτὴν φησιν εἶναι θηλυκῶς καλουμένην Δέλφυναν ὁ αὐτὸς Καλλίμαχος*. Equidem huius scholiastae accurationi non tantum tribuo, ut credam necessario statuendum esse Callimachum draconem altero loco *Δελφύνην* masculino genere, altero *Δέλφυναν* feminino appellasse; nam verisimilius videtur in priore adnotatione non tam accurate, ne putide dicam, inter *Δελφύνην*, qua forma Maeandrius usus erat, atque *Δέλφυναν* illud callimacheum distinctum esse, in posteriore demum vocis callimacheae formam genuinam adiectam esse[1]). Sed nolo ea diiudicare quae in opinatione posita sunt. At Callimachus semel certe draconem delphicum *Δέλφυναν* dixit. Cum vero Apollonius in fabula conformanda sine dubio a Callimacho pendeat, consentaneum est illum nomen pariter *Δελφύνην* ab eodem auctore deprompsisse. Atque totam illam fabulam de serpente ab Apolline transfixo Callimachus libro *τῶν Αἰτίων* quarto enarraverat; versum enim ex hoc libro unum Stephanus Byzantinus (s. v. *Δειπνιάς*, fr. 32 Schn.) servavit, quo ille deus narratur, postquam se Tempibus purgarat, Deipniada se in vicum Thessaliae recepisse ibique primum cenavisse, quod graece *δειπνεῖν* dicitur: *δειπνιὰς ἔνθεν μιν δειδέχαται*, id est Apollinem Tempibus profectum. Eodem Tertulliani in libro de corona VII (I 432 Öhl. = f. 414 Schn.) testimonium pertinere videtur *habes Pindarum atque Callimachum, qui et Apollinem memorat interfecto Delphyne dracone lauream induisse qua supplicem.* Quid? nonne censemus descriptioni piaculi interfectionis descriptionem praecessisse? Atque, cum Callimachus pentametro narrarit Neptunum pristinum dominum Delphos Calauria insula mutasse (*μέσφα Καλαυρείης ἦλθεν ἐς ἀντίδοσιν* fr. 221), ne hoc quidem fragmentum illi narrationi vindicare dubitabo. Fr. 450 *Δελφὸς ἀνὴρ ἐμὸς ἱεροεργός* ipse deus

[1]) Callimachus serpentem *Δέλφυναν* propterea dixit, quod in hymno homerico Python non *δράκων* sed *δράκαινα* (v. 300) dictus erat. Nomen *Δελφύνης* idcirco fictum est, ut inde nomen *Δελφοί* derivaretur, ut *Πυθώ* a Pythone.

loquitur de sacerdotibus qui sibi rem sacram facturi sint: id quod in illud carmen optime quadrat. Atque Hyperboreorum sine dubio pariter in Aetiis mentionem fecit: nullos enim alios Callimachi elegos novimus nisi *τὰ Αἴτια* et Comam Berenicis, fr. 188 autem pentameter est (*τέρπουσιν λιταραὶ Φοῖβον ὀροσφαγίαι*). Num tamen hic versus ad eundem Aetiorum librum referendus sit, dubium est: Hyperboreos enim Callimachus h. in Del. v. 278 sqq. fecit Delum, non Delphos sacra sua mittere. Accedit quod *τέρπουσιν λιταραὶ Φοῖβον ὀροσφαγίαι* tam non distincte dicta sunt, ut difficile sit ad credendum illi versui in eo carmine sedem fuisse, in quo Apollo primas partes egerit[1]).

At, dixerit quispiam, siquidem Apollonius nomen draconis ab *Αἰτίοις* sumpsit, quid iam impedit quominus opinemur eum pariter cetera quae praebet inde deprompsisse, hymnum in Apollinem ne inspexisse quidem, qui fortasse illo tempore ne scriptus quidem esset? At, si quis ita disputarit, speciosiora quam veriora concludet. Nam illud potissimum iis qui Apollonium legunt, offensioni est, qua ratione ex oratione obliqua in rectam improviso deflexerit; id quod e narrationis aetiologicae, quae uno tenore scripta sit, imitatione explicari non potest, hymni ex imitatione repeti etiam debet. — Ut igitur rem paucis comprehendam, Callimachus pericopa quam disceptamus, carmen quoddam suum, ut solet, tecte laudat; Apollonius in Argon. II v. 705 sqq. componendis et hunc Callimachi locum et illud carmen respexit atque imitatus est.

100 *Πυθώ* e nomine urbis delphicae, non draconis vel draenae derivatum censeo; nam neque talis huius nominis formae ulla est alibi vola aut vestigium, et *κατιόντι* complementum quasi requirit: Apollo enim dicitur de Phocidis montibus ad urbem descendisse vel potius in illam vallem sive *νάπην*, ubi Pythonem peremisse narrabatur (cfr. prolegomena ad Pindari Pyth. 7, 17 Drachm., Hesychius s. v. *Τοξίου βουνός*)[2]). Atque certum fortasse Callimachi consilium deprehendimus: Pythonis enim nomen eadem de causa vitavit qua Niobae nomen in re sacra facienda

[1]) In carmine, ut ita dicam, delphico restituendo partim Rauchii (Aitia des Kallimachos [Rastatt 1860]) vestigia secutus, partim eidem oblocutus sum.

[2]) Huius versus sententiam recte perceperunt Preller-Robert, griech. Myth. I 241. — Exempla accusativi sine praepositione cum verbis quae motum indicent coniuncti afferre nihil opus est.

reticuit. Eodem pertinet quod Apollo h. in Del. v. 91 sqq. eundem draconem non nominat: sed *ὄφιν μέγαν*, tum *δαιμόνιον θῆρα* commemorat; eodem quod Niobidae ibidem *τέκνα κακογλώσσοιο γυναικός* dicuntur; eodem quod deus scelerum thebanorum nullam mentionem facit, nisi se illa nosse significat, cum minitetur (v. 97) *οὐ σύ γ' ἐμεῖο φίλῃ τροφὸς οὐδὲ Κιθαιρὼν ἔσσεται· εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην*. In vocibus quas postremas attulimus, Callimachus, quid velit, quasi confitetur. — **103** *εὐθύ* ad *ἀοσσητῆρα* trahendum est: „simulatque natus es, matri opitulatus es." Simile est illud euripideum de Libero (Phoen. 649) *Βρόμιον ἔνθα τέκετο μάτηρ Διὸς γάμοισι, κισσὸς ὃν περιστεφὴς ἕλικος εὐθὺς ἔτι βρέφος χλοηροφόροισιν ἔρνεσιν κατασκίοισιν ὀλβίσας ἐνώτισεν*. — **104** *ἀείδῃ* cum *κεῖθεν* coniungendum est, non cum *ἐξέτι*: *τὸ δ' ἐξέτι* „usque ab illa aetate" *κεῖθεν ἀείδῃ* „inde celebraris".

Sequitur iam extrema pericopa: „Invidia Apollini ad aurem insusurravit: ‚Poëtam non admiror qui ne tantum quidem canat quantum — mare capit'. Apollo Invidiam calce percussit: ‚Euphrates' inquit ‚magnus fluvius est, sed plerumque luteus: Cereri aquam e tenui sed puro fonte Melissae portant'. Ave, Apollo; Momus eodem abeat quo Invidia."

Quomodo, quaeso, haec extrema pericopa cum praecedenti cohaeret? Quo tandem iure Callimachus carmina sua de tenui fonte deducta in exitu carminis ipse laudat, cum hucusque sacra cyrenensia oculis subiecerit, se unum quemlibet de turba finxerit? quo iure invidis, etiam iudicibus minus benivolis et aequis quasi proprio nomine maledixit? De hac quaestione iamdiu disputatur, ita quidem ut mihi nondum a quoquam omnino satisfactum sit[1]).

Atque unum velim teneas, Callimachum personam, qua se tegerat, hoc loco abicere idque consulto, non fortuito, fecisse. Iocatur ille quidem, quoniam, cum hucusque partes unius cuiuslibet e multitudine sustinuerit, nunc improviso controversias hominum litteratorum illius aetatis penitus sciat. Totius loci a-

[1]) Omnium unus et acutissime et elegantissime de hoc hymni quasi epilogo disputavit U. de Wilamowitz-Möllendorff (Göttinger Nachrichten 1893, 743 sqq.), quamquam neque omnia recte extricavit et grammaticis, qui ante eum fuerant, iniuria credidit Apollonium Rhodium Momi nomine hic vituperari; nonnulla satis gravia addidit Timothei editionis p. 99.

cumen ea re continetur, quod carmen e certa quadam forma in aliam prorsus diversam deflectit. Usque adhuc aliquis e Cyrenaeorum plebe locutus erat, inde ab hoc loco ipse Callimachus. Usque adhuc novam artem, qua narratio actionem aemularetur, mirati sumus; nunc poëta Apollinis facinus insigne ita narrat, ut hymnorum homericorum aoedi solent, et carmen eadem invocatione concludit qua illi: *χαῖρε*; etiam sibi in ipso exitu aliquid a deo precatur ut illi: velut Veneris hymnus in voces exit *χαῖρ' ἑλικοβλέφαρε γλυκυμείλιχε, δὸς δ' ἐν ἀγῶνι νίκην τῷδε φέρεσθαι, ἐμὴν δ' ἔντυνον ἀοιδήν*, hymnus Cereris concluditur *ἀλλ' ἄγ' Ἐλευσῖνος θυοέσσης δῆμον ἔχουσαι . . ., πότνια ἀγλαόδωρ' ὠρηφόρε, Δηοῖ ἄνασσα, αὐτὴ καὶ κούρη περικαλλὴς Περσεφόνεια. πρόφρονες ἀντ' ᾠδῆς βίοτον θυμήρε' ὀπάζειν*. Nisi quod invocatio eo nomine et singularis et faceta est, quod Callimachus profitetur se non rhapsodum esse, qui victoriam in certamine vulgari vel etiam victum tenuem cottidianum a dis hymni quasi mercedem repetat, sed poëtam nobilissimum ipsi Apollini carum, qui deum nihil aliud flagitet, nisi ut iudices malivoli eodem abeant quo Apollo obtrectatorum invidiam calce percussam iam miserit, in malam rem. Iter a forma, ut ita dicamus, dramatica ad homericam cavillatione sibi munit.

Quare vero in exitu carminis formam homericam sectatus sit, iam dubium esse non potest. Hymni enim in Dianam et in Delum et homericam in universum formam praebent et formulis homericis concluduntur; hic enim ita exit: *ἱστίη ὦ νήσων εὐέστιε, χαῖρε μὲν αὐτή, χαίροι δ' Ἀπόλλων τε καὶ ἣν ἑλοχεύσατο Λητώ*; hymnus in Dianam ita: *χαῖρε μέγα κρείουσα καὶ εὐάντησον ἀοιδῇ*. Quid aliud est carmini favere nisi ab eodem nigrum Invidiae dentem removere? At, nisi hymni in Apollinem exitus hac ratione conformatus esset, nulla omnino similitudo illi cum hymnis homericis interfuisset. Dedita ergo opera Callimachus effecit ut hymni in Apollinem pars extrema homerica quaedam evaderet.

Restat ut quaeramus, quare id facinore egregio Apollinis erga se narrato fecerit, non, ut in proclivi erat, carmine ita terminato ut hymnis in Minervae lavacra et in Cererem, qui item fere conformati sunt, dei praesentis invocatione? Hoc sane discrimen inter illos hymnos et hymnum in Apollinem intercedit, quod illic deus carminum demum exitu prodisse, hic iam inde a v. 16 adesse creditur. Sed quid obstabat quominus poëta se

denuo ad deum praesentem converteret? At Callimachus maluit iocos de se obtrectatoribusque suis carmini inserere, hymno sales et facetias inspergere maluit. Atque id quod voluit, ita sectatus est, ut novam Apollinis *ἀρετήν* caneret, quae tamen paullo longius a sacro cyrenaeo discederet, obtrectatores pede percussos.

Sollemne fuit hymnis *σφραγῖδα*, poëtae sigillum imprimi, id est in fine sive etiam in medio carmine poëtam de se loqui. In hymno Apollinis homerico aoedus a singulari illius dei erga Delum amore ad sacra delia atque virgines delias pedetemptim transgreditur, tum virgines rogatas vult ut sui ne obliviscantur utque confiteantur se omnium aoedorum unum ipsis maxime placuisse. Timotheus vero a Graecis Paeana post pugnam salaminiam (v. 210 sqq.) laudantibus ad Apollinis preces, ut poëtae opituletur, quem Lacedaemonii immerito vexent quod novum artis genus intulerit, atque ad suas ipsius laudes non magis transcendit quam transilit, ut appareat illa aetate consuetudinem sigilli adiciendi tam pervulgatam fuisse, ut qui legerent non mirarentur talia carmini nulla excusatione petita quasi intrudi, immo exspectarent poëtam de se dicturum esse. Atque hanc legem ne in Dianae quidem hymno Callimachus migravit: ibi enim a narratione de Diana sagittam in scelestorum urbem coniciente ad eorum miseriam, qui in illam deam peccaverint, describendam, tum ad eorum beatitudinem, quibus Diana benivola sit, praedicandam transgreditur, tum illam precatur ut sibi semper benigna sit carmenque concedat, promittit in illo et Latonae et Apollini et ipsi Dianae insignem semper locum futurum esse. Tum denique laudes, quibus deam prosecuturus sit, explicat, id est ad eiusdem deae laudes denuo revertitur. — Potuit in illis enarrandis recta pergere nulla de se mentione iniecta; maluit contra *σφραγῖδα* huic carminis parti inserere. Neque igitur singulare est *σφραγῖδα* Apollinis hymno adici, verum illam narratione de Apollinis facinore contineri, non poëtae professione de se ipso. Sed a carmine minime homerico, qui tamen hymnus dici voluit, ad epilogum homericum sibi cavillando iter munivit, quod ei prospere successit. Qui enim verba *ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν* audiverunt, exspectant enarrationem de alia illius dei virtute seu de alio *αἰτίῳ* propositum iri, tum paullatim animadvertunt se a poëta decipi, hunc iam de se, non de Apolline cyrenaeo loqui.

Pericopa quid in universum significet, inter omnes constat:

Invidiam a Callimacho grande opus repetere, Apollinem poëtarum deum indicare sibi tenue carmen omnibus numeris perfectum magis probari quam longum carmen epicum, in quo non omnia eadem diligentia perpoliri atque absolvi possint. Haec nobis grammaticorum alexandrinorum controversiarum documentum sunt. Cum illis vero qui contendant Apollinem Ptolemaeum regem significare, Phthonum calce percussum quasi quandam effigiem Apollonii esse e Ptolemaeorum aula pulsi, ne pugno quidem: ineptiora enim proferunt quam quae refutare opus sit[1]). Diversa est eorum condicio, qui existiment Apollinem Apollinem, Phthonum Phthonum, nihil aliud esse, atque tamen Callimachum victoria de Apollonio aemulo reportata haec scripsisse, cum ille iam se Rhodum contulisset[2]). Atque fuisse cum Callimachus cum Apollonio discipulo concertaret, iam negari non potest; hoc loco Callimachum adversus Apollonium pugnare pervicaciter nego, nam Apollonium hunc hymnum imitando expressisse nuper (p. 70 sqq.) demonstravimus, quod non fecisset, si Callimachus hoc ipso carmine adversus eum pugnasset. Dubium autem non est quin multi Callimachi aetate fuerint, qui ab eo carmen epicum iustae magnitudinis repeterent; etiam scholiis, satis ieiunis illis quidem, facile credimus illum Hecalam grandius carmen scripsisse, ut adversariorum calumnias redargueret. Si quis existumabit ei adversus unum Apollonium illo carmine dimicare opus fuisse, manifesto errabit[3]). Neque Callimachus uno quidem verbo indicavit illum qui sibi maledixisset, poëtam esse. Nam invidia non tantum aemulorum verum etiam iudicum minus benivolorum a poëtis exprobrari solet; quicumque enim de carmine minus benivole iudicaverit, illum sibi invidere poëta censebit. Horatius, eo loco (carm. II 20, 4) ubi sibi optat ut ab hominum commercio *invidia maior* avolet, non tantum aemulos spectat quantum omnes qui sibi debitum honorem

---

[1]) Doleo in hoc numero virum fuisse optimo iudicio et singulari litterarum hellenisticarum doctrina Georgium Knaack (PW II 127). Historiam huius interpretationis inde ab Isaac Vossio narrat A. Gercke (Rh. Mus. XLIV 1889, 127), qui ipse minus recte sentit (cfr. p. 146—148). Cfr. Studniczka quoque, Herm. XXVIII 1893, 15.

[2]) Horum sectae adscribendus est vel U. de Wilamowitz (Gött. Nachr. 1893, p. 746).

[3]) Recte de hoc loco iudicarunt Vahlen p. 826, Beloch (Griech. Gesch. III 2, 496).

recusent; an cum de se praedicat *Romae principis urbium dignatur suboles inter amabilis vatum ponere me choros, et iam dente minus mordeor invido* (carm. IV 3, 13) adversus collegas pugnat? an potius adversus obtrectatores, quicumque illi fuerunt? Etiam silentium invidum dicit, quod bonis atque fortibus meritam gloriam recuset (c. IV 8, 22): *quid foret Iliae Mavortisque puer, si taciturnitas obstaret meritis invida Romuli?* Sequitur *ereptum Stygiis fluctibus Aeacum virtus et favor et lingua potentium vatum divitibus consecrat insulis: caelo musa beat*[1]). Item obliviones lividas, id est invidas dixit (c. IV 9, 30): *non ego te meis chartis inornatum silebo totve tuos patiar labores impune, Lolli, carpere lividas obliviones.* Accedit quod Callimachus extremo versu, quo Momum eodem abire iubet quo Phthonus Apollinis calce propulsus, ipse indicat Momum et Phthonum unum eundemque esse; quicumque eius carmina reprehendat, eum invidia motum id facere.

At, dixerit quispiam, adversus unum certum carmen epicum, quod lutulentum fluat, Callimachus pugnat. Num opinaris unum Apollonium illa aetate carmina epica pepigisse? Callimachus credidit ab ingentibus voluminibus neglegentiam aliquam vix ac ne vix quidem dissociari posse. Idem enim dixit *τὸ μέγα βυβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ* (ap. Athen. III 72a = fr. 359): idem disertis verbis rationem reddidit, quare non magnum carmen perpetuum composuisset (fr. 287 *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκὲς ἤνυσα*); idem poëtis recentioribus „recusationis" exemplum fortasse antiquissimum praebuit (fr. 165 + 490 *μηδ' ἀπ' ἐμεῦ δίφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδὴν τίκτεσθαι· βρονιᾶν οὐκ ἐμὸν ἀλλὰ Διός*[2]). Quid, quod in epigr. 28 poema cyclicum cum via celebri et cum pusionibus vulgaribus comparat? Me si audis, Callimachus etiam hoc loco quem disceptamus, non adversus unum certum poëtam epicum pugnat, sed adversus obtrectatores, qui exprobraverant eum nondum aliquid ingens scripsisse, pariter quodammodo recusat quominus illis morem gerat. Ut alio loco faceta quadam modestia id fecerat, tonare non suum esse sed Iovis, ita nunc in

[1]) Id est *ἐκ μοισᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισιν*, ut Theocritus XVI 58 cecinit; etiam quae antecedunt similia sunt.

[2]) Coniunxit Dilthey analectorum callimacheorum (diss. Bonn. a. 1865) p. 31 sqq. Vocabulum recusationis qui invenit, Johannes Lucas (Festschr. für Vahlen 319 sqq.), ea voce angustiore sensu utitur, ut indicet poëtam recusare quominus amico morem gerat, gerere tamen carmine illi misso.

illos, qui malivolo animo grande carmen a se flagitant, singulari impetu invehitur.

Quanti momenti Callimachi iudicium de carminibus epicis in litteris graecis et latinis fuerit, quot quam saepe poëtae romani ab eo pendeant, et saepe his extremis annis quaesitum est, praesertim cum elegiae romanae origo disceptaretur, neque huius loci est quaerere.

Neque Phthonus (v. 105) neque Momus (v. 112) di fuerunt, quorum quidem religiones apud Graecos essent. Licuit sane cuilibet vel poëtae vel artifici e virtutum vitiorum nominibus arbitrio suo deos fingere. Ea tamen de causa Momi condicio diversa est, quod ille iam in Cypriorum prooemio regis Iovis quasi a consiliis inducebatur (id quod e scholiis A ad Homeri *A* 5. 6 elucet corruptis illis quidem), quodque eidem in Hesiodi genealogiis certus locus fuit (Theog. v. 214). Inde quamquam concludere non licet deum illum a Graecis excultum esse (nam illi vetustissimi poëtae eodem iure usi sunt quo inferiores; quod si Hesiodo non concesseris, quid iam de Theogonia reliquom erit?), facile tamen explicatur Momi personam ex hominum conspectu nunquam rursus evanuisse. Quin etiam in consuetudinem venerat perfectam et absolutam cuiuslibet rei speciem admirantes dicere *οὐδ' ἂν ὁ Μῶμος τό γε τοιοῦτον μέμψαιτο*, cuius usus testem antiquissimum Platonem (Reip. VI 487 a) afferre satis est. Atque fortasse illud proverbium a fabella quadam de dis vulgari derivatum est. Nam Aristoteles (de part. anim. 3 p. 664 a 34) taurinorum cornuum positionem a Momi aesopii accusationibus defendebat, cum hic improbasset illis non umeros sed caput muniri. Eadem igitur fabella illa aetate narrabatur atque Babrii temporibus, qui f. 59 eundem deum fecit, deorum aemulationes diiudicantem, cum alia tum taurum Neptuni opus eadem de causa reprehendisse. Itaque fabularum scriptores, si quid video, Momi nomen ab Hesiodo receperunt, illum in deorum servum ioculatorem, personam quandam sollemnem, conformarunt. Plato rursus eum de fabellis vulgaribus sumpsit; ante Platonem iam Sophocles et Achaeus; uterque enim fabulam satyricam Momum inscripsit. Multis saeculis post Lucianus illi partes in deorum vita cottidiana praecipuas tribuit (cfr. potissimum Iuppiter tragoedus, Deorum Concilium), ut fuit ipse ad reprehendendum proclivis. Sed cum saepenumero illam fabulam laudaverit idque non in dialogis tantum fecerit, in quibus di agentes indu-

cerentur, verum in opusculis, quibus illius dei mentio tantum iniceretur, consentaneum est illum credidisse omnibus qui legerent Momum notum esse, scilicet eam fabellam illa aetate pervulgatam fuisse[1]). Aristides (49, 136 = II 184, 18 sqq. K.) cum Momum in transcursu narret, Veneri cum nihil aliud obicere posset, illius calceamenta vituperasse, alienam fabellam eandemque fortasse pariter aesopiam exprimere videtur.

Phthono contra neque in fabulis de dis neque in fabellis vulgaribus certa sedes fuit. Nam vascularius qui Meleagri fabulam depinxit, Arch. Zeit. XXV tab. 220, figurae, quae iam periit, *Φθόνον* idcirco tantum inscripsit, ut indicaret Meleagrum Althaeae invidia occidisse, eodem iure usus quo Euripides, cum (Troad. 766 sqq.) Helenam diceret non uno patre sed compluribus genitam, *Ἀλάστορος μὲν πρώτου, εἶτα δὲ Φθόνου Φόνου τε Θανάτου θ' ὅσα τε γῆ τρέφει κακά*: extrema ostendunt etiam priora vix deos intellegenda esse. Sane Pollux (IV 142) Phthonum in numero *τῶν ἐκσκεύων προσώπων* comicorum quidem recenset, sed pari iure *τὸν δίκαιον* et *τὸν ἄδικον λόγον* in Nubibus, pari *τὴν Πενίαν* in Pluto Aristophanis deos vocaveris. Philoctetes vero sophocleus, cum Neoptolemum arcu tradito iubeat (v. 776) *τὸν φθόνον προσκυνῆσαι*, non certum quendam deum dicit sed *τὸν τῶν θεῶν φθόνον*. Plutarchus etiam indicat se nullum deum *Φθόνον* novisse: Periclis enim vitae cap. 13 comicos vituperat *ταῖς κατὰ τῶν κρειττόνων βλασφημίαις, ὥσπερ δαίμονι κακῷ τῷ φθόνῳ τῶν πολλῶν ἀποθόντας*; nisi *ὥσπερ* addidisset, fortasse liceret, si liceret, conicere illum daemonem *φθόνον* nosse; cum vero scripserit, iam non licet. Sane, si scriptori orationis pseudodemosthenicae adversus Aristogitona (XXV 52) credimus, sollemne erat in picturis certam sedem in Orco Phthono tribui *μετὰ Ἀρᾶς καὶ Βλασφημίας καὶ Στάσεως καὶ Νείκους*. An credimus *Βλασφημίαν* certam deam aliquando fuisse? an tantum *τῷ ῥητορικῷ πάθει* oratoris Attici tribuimus, qui eodem loco adversarium cum serpente vel cum scorpione, qui aculeo sublato in vulnera ruat, comparat, qui eodem loco eum *ἄσπειστον ἀνίδρυτον ἄμεικτον* fingit? Ipse similiter *τοὺς ἐν Ἅιδου θεούς* ita repraesentavit ut ei libebat. Concedimus pictores etiam illa aetate Phthonum in improbos vel post mortem

[1]) Parum interest, utrum Lucianus ipse Momo tantum concesserit, an iam Menippus hoc fecerit, hic vero a Luciano expressus sit, ut demonstrare conatus est Rudolphus Helm (Lukian u. Menipp 148).

saevientem pinxisse; illum deum fuisse, de eo fabulas narratas esse pertinaciter negamus[1]).

Atqui demonstrari potest Callimachum illam historiolam de Phthono de caelo pulso longe a dis vitam degente non ipsum invenisse, sed lepide et variasse et auxisse. Momus aetate hellenistica deus litteratus factus erat; idem Callimachus illum philosophorum fuisse iudicem iniquum novit: voluit enim incredibilem Diodori Croni sapientiam paucis vocibus facete adumbrare, finxit (fr. 70) ipsum Momum in parietibus scripsisse *ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός*. Epigrammatum poëtarum testimoniis, Leonidae Alexandrini (A. P. IX 356) *οἴγνυμεν ἐξ ἑτέρης πόμα πίδακος, ὥσι' ἀρύσασθαι ξεῖνον μουσολόου γράμμα Λεωνίδεω· δίστιχα γὰρ ψήφοισιν ἰσάζεται· ἀλλὰ σύ, Μῶμε, ἔξιθι κεἰς ἑτέρους ὀξὺν ὀδόντα βαλέ*[2]) et Philippi Thessalonicensis (A. P. XI 321) *γραμματικοὶ Μώμου στυγίου τέκνα* propterea minus tribuo, quod a Callimacho pendere possunt. Philippus Callimachi in eodem epigrammate mentionem facit[3]). An opinamur etiam Artemidorum Daldianum somniorum interpretem a Callimacho pendere, cum doleat in prooemio quodam (IV 198, 8 Herch.) esse in terris Momum atque moneat adversus illum esse pugnandum, deinde inopinato a deo Momo ad criticos deflectat: *ᾧ* (Momo scilicet) *χρὴ κατὰ τὸ καρτερὸν ἐνίστασθαι ἐπισταμένον ὅτι πλείοσιν ὅπλοις πρὸς τὰ κρείττονα τῶν ἔργων ἀγωνίζεται· καὶ γὰρ νῦν αἰσθάνομαί τινων τοῖς βιβλίοις ἐγκαλούντων ὡς τῶν μὲν ἐν αὐτοῖς γεγραμμένων ἀληθείας μὲν οὐδ' ὁτιοῦν ἀποδεόντων, οὐ πάντων δὲ ἐξειργασμένων οὐδ' ἠτιολογημένων, ἔστι δὲ ὧν καὶ παραλελειμμένων ἀναγκαίων ὄντων τῇ ὑποθέσει?* Illo *καὶ γάρ* Momum et criticos quibus nunquam satisfiat, unum idemque esse Artemidorus confessus est. At credamus illum talia in suum prooemium e Callimacho derivasse? Ut erat scriptor satis vulgaris, *τόπον* hellenisticum in suum usum convertit. Nihil ergo in ea re Callimachus novavit, quod Momum in hominum litteratorum controversias introduxit. Pariter Momum de caelo expulsum esse norant omnes: Artemidorus, eo loco quem nuper diximus, narrat eum inter homines versari *ἀπελιλαμένον θεῶν καὶ δαιμόνων*; Babrius disertis

[1]) Haec tam non brevibus disputavi, quod Höfer in Roscheri lexico (III 2473 sqq.) non omnia recte explicavit, Sophoclis et Plutarchi locos etiam perperam.

[2]) Comparandum est illud horatianum *dente minus mordeor invido.*

[3]) Cavillari voluit, cum grammaticos Momi filios *Καλλιμάχου στρατιώτας* nominaret, eiusdem Callimachi qui Momo maledixerat.

verbis testatur deorum concertationem ea aetate fuisse, cum Momus adhuc in caelo esset, *ἔτι γὰρ ἐν θεοῖς ᾤκει*. Luciano, cum quae nuper in caelo acta essent, se narrare profiteretur, non licebat confiteri se nosse Momum ibi iam non habitare; atqui illum deum fatentem fecit (Iov. Trag. 22) sibi de honoribus quoquo modo parvam vel etiam nullam aleam fore; iamdudum enim nullos sibi esse, cum di prosperis rebus uterentur et soli sacrificia comederent. Atqui quomodo fieri potuit, ut hic omnes ab una Callimachi voce penderent? Fabella profecto fuit, cuius iam haec tantum vestigia servantur, Momum de dis pulsum, ab Iove opinor, nunc in terris versari. — Atque fortasse Momum cum Phthono non Callimachus primus consociavit: Babrius, si ipse Babrius clausulam illius fabulae composuit, qua doceret quid inde ad mores corrigendos redundaret (illam enim interpolatam censent), illos coniunxit; Damascius in vita Isidori (apud Photium 340 a 19) Herminam narravit talem fuisse, *ὥστε μηδ' ἂν τὸν Μῶμον αὐτὸν ἐπιμωμήσασθαι μηδὲ μισῆσαι τὸν Φθόνον*: Leonidam Alexandrinum nuper (p. 83 adn. 2) monuimus eundem dentem Momo tribuisse quem Horatium Invidiae. Recentes utique testes, sed quos minime verisimile sit a Callimacho pendere, qui tam longe ab eo discedant; Damascius etiam sententiae conformatione arguitur proverbio usus esse. Fabella fuit, fabella, qua Momus narraretur ab Iove de caelo pulsus esse.

Phthonus non tam certa persona fuit quam Momus; atqui omnes norant illum longe a dis habitasse; Plato enim scripserat (Phaedr. 247 a) *φθόνος ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται*, non ille quidem vetustiorum opiniones secutus, immo vero adversus eos pugnans, qui crederent *φύσει φθονερὸν τὸ θεῖον εἶναι*, in quorum numero paene omnes veteres Graeci fuerunt. Atque ille Phaedri locus, quem dicimus, unus ex illo dialogo nobilissimus fuit.

Ut rem paucis comprehendamus, omnes Callimachi aetate norant Momum e deorum convictu, ab Iove opinor, expulsum in malam rem abiisse, norant illum deum grammaticum esse poëtarum iudicem, norant illum a Phthono non esse dissimilem; hunc apud Platonem legerant longe a dis habitare. Callimachus lepidam fabellam concinavit et exornavit, eamque reliquis Apollinis egregiis facinoribus addidit: finxit enim Phthonum, deum litteratum illum quidem, ea de causa ab Apolline de caelo pulsum esse, quod Callimachi gloriae obtrectasset; calce eum percussum

esse addidit, quo festivior illa narratiuncula evaderet. Optavit ut quem eius sodalem et amicum esse inter omnes constaret, Momus non iam inter homines versaretur, sed ipse, qui iamdudum de caelo pulsus erat, ex hominum commercio ad inferos migraret. Nonne haec omnibus, qui fabulas mente tenerent aesopias quique Platonis Phaedrum legissent, iucunda, etiam salsa atque faceta visa sunt?

105 *ἐπ' οὔατα* singulare est, nam *εἰς οὖς* vel *ἐν ὠτί*, *εἰς ὦτα* vel *ἐν ὠσί* dici soluit. Nescio vero an illud *ἐπί* hoc loco potius a motus notione, quae in *λάθριος* quasi latet, pendeat, ut intellegendum sit Phthonum ad Apollinem clam repsisse illique in aures insusurrasse. Non dissimile est illud homericum *γ* 293 *αἰπεῖα εἰς ἅλα πέτρη*, id est „quae acuta in mare protenditur"; plura congessit Wilamowitzius ad Herculis euripideae v. 510. — **107** *ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος* (v. 105) et *τὸν Φθόνον ὠπόλλων* (v. 107) inter se respondent: uterque pariter versus voce *εἶπεν* sive *ἔειπεν* concluditur. — Phthonus ita loqui coeperat, tamquam non multum a poëta peteret: „non probo illum poëtam, qui ne tantum quidem canat quantum —": sed iam sibi temperare non potest quin prodat quantum flagitet: unde inconcinnitas quaedam exoritur periucunda animisque legentium vel magis imprimitur quam et iniquum et ineptum sit carmina versuum numero metiri[1]). — **108** Fluvius Assyrius Euphrates est; veteres enim Assyriam satrapiam Persarum Babyloniam Herodotus[2]), paene totam Asiam dixisse testimonio est Strabo XVI p. 736, confirmant multi cum scriptores tum potissimum poëtae antiquissimi Assyriorum imperii memores. Id facere Callimacho illa aetate in proclivi erat, qua Assyriorum imperium ab Alexandro eiusque successoribus resuscitatum erat. Atque scripsit idem Callimachus de Ptolemaeo Euergeta Seleucidas bello lacessente, si fides est Catullo Comam Berenicis exprimenti (v. 12), *rastatum fines iverat Assyrios*. — Nonne Euphrates lutulentus sit, ipse nescio, cum tamen verisimile sit magnum amnem, qui non ita velociter inter luteas ripas decurrat[3]), tur-

[1]) Singulari iudicii subtilitate de hoc versu iudicavit Wilamowitzius, NGG 1893, 743.

[2]) Cfr. Eduardus Meyer, Geschichte des Altertums III, § 84.

[3]) Arrianus (Anab. VII 21, 5) de Mesopotamia: *ἰλυώδης ἡ αὐτῇ γῆ καὶ πηλὸς ἡ πολλὴ αὐτῆς*. Ex iis qui nostra quidem memoria Syriam peragraverunt,

bidum esse. At hoc Callimachi minime intererat: voluit enim quempiam magnum fluvium: Nilum sacrum amnem Alexandriam adlabens exemplum ponere non licebat: Euphrates, utpote qui satis remotus esset, speciem quasi fabulosam praebebat. — **109 sq.** ita interpretor quasi scriptum esset: *τὰ πολλὰ ἕλκει πολλὰ λύματα γῆς καὶ πολλὸν συρφετὸν ἐφ' ὕδατι*; id est *τὰ πολλά* temporale adverbium ad verbum ambabus sententiis commune refero, *πολλόν* ad posterius obiectum positum etiam ad prius audiendum esse censeo; si quis enim aliter intellegat, *τὰ πολλά* adiectivum esse existimet atque cum illo *λύματα* iungat, quod iam discrimen inter *τὰ πολλά* et *πολλόν* sit? etiam quid sibi vult articulus ille adiectivo additus? nam „pleraeque sordes" sententiae parum accomodatum est. Immo et *τὰ πολλά* et *πολλόν* semel ponuntur, bis intellegenda sunt; *τὰ πολλά* sententiae initio collocatum est, *πολλόν* posteriori tantum obiecto additum. Voluit scilicet qui scripsit eum qui legeret quasi in errorem induci. — Scribendi genus poëtae cum facilis tum minus accurati cum flumine lutulento pariter contulit Horatius *serm.* I 4, 11 *cum flueret lutulentus.* — **110—112** Versibus qui iam secuntur parvum carmen omnibus numeris absolutum atque perfectum cum aquae puritate comparatur, qua Melissae Cereris simulacrum lavant: *ὕδωρ* enim lavationis in usum a Melissis haustum esse propterea accipio, quod, quantum scio, ab antiquis dis aqua nunquam sacrificatum est. „At de Cereris simulacro a Melissis lauto prorsus nihil traditum est." At quot testimonia de Melissis Cereris vel mystidibus vel sacerdotibus supersunt praeter hunc Callimachi locum quem disceptamus? Item per unum Callimachum novimus Argis Palladium lavari solitum esse. Consentaneum est talium rituum, qui fuissent cuiusque civitatis singulares, memoriam aut evanuisse aut ab uno teste, docto aliquo alexandrino, servatam esse. Accedit quod, ni fallor, vestigium huius ritus in Cereris sacris alibi quoque servatum est, quod antequam investigemus, necesse est nonnulla alia tractare.

Porphyrius (de antr. nymph. 18) narrat Cereris sacerdotes ab

scripsit Sachau lutum riparum Euphratis equitibus obstaculo esse (Reise in Syrien und Mesopotamien 261). Quod Plinius (n. h. XVIII 162) negat Euphratem Tigrimque limum invehere, sicut in Aegypto Nilum, non contra facit: vult enim ad *invehere* vocem *agris* audiri: non esse certa tempora, quibus Euphrates abundans pinguem faecem agris illinat sicut Nilus, ut agricolarum opera quasi supervacanea sint.

antiquis *μελίσσας* dictas esse[1]); non sacerdotes sed *μύστιδας* ita appellatas esse Hesychius (s. v.) tradidit. Servii interpolati ad Aen. I 430 testimonio haec quaestio non dirimitur: cum enim fabulam narret, Melissam Cereris sacerdotem fuisse, quae cum secreta sibi a Cerere commissa patefacere noluisset, a mulieribus iratis discerpta esset, ab ea apibus *μελίσσας* nomen inditum esse, illam sacerdotem vocat, de eadem tamen talia narrat, quae non minus bene in quancumque mystida cadant. Item scholiastarum ad illum Pindari locum (P. IV 104), quem in adnotatione exscripsi, *μελίσσας* alter primitus Cereris sacerdotes, alter *τὰς περὶ τὰ θεῖα καὶ μυστικὰ διατελούσας*, id est initiatas, appellari affirmat. Neque e Pindari fragmento, quod hic affertur (in Schröderi editione maiore numero 158 insignitur), elucet utri credendum sit: nihil enim aliud exscribitur, nisi illae voces *ταῖς ἱεραῖσι μελίσσαις τερπεται*, deus scilicet nescio qui, forsitan Ceres. Atque tamen certam causam necesse est fuisse cur in controversia esset, *μέλισσαι* utrum sacerdotes an mystidas significaret. Nonne igitur illud nomen a religione sumptum est, quae Cereris mysteriis contineretur? a qua alia, nisi ab Eleusinia sive genuina sive alio translata?

Atque nomen Cereris *Δηώ* inde pariter arcessitum esse, si quis testimonia perpenderit, verisimile apparebit. In hymno Cereris homerico, carmine Attico, illa cum bis in errorum narratione idque in formula (*πότνια Δηώ* v. 47. 211) tum tertium in invocatione extrema *Δηώ* appellatur, ubi sollemne erat deum proprio nomine vocari. Atque hoc certe loco illa vox non quasi quaedam Cereris *ἐπίκλησις* adhibetur, verum quasi legitimum nomen: cognomen

[1]) Sequentibus vocibus *ὡς τῆς χθονίας θεᾶς μύστιδας* nihil tribuo: additamentum enim sunt ipsius Porphyrii, qui intellegi velit illas sacerdotes propterea apes dictas esse, „utpote quae inferorum mysteriis initiatae essent". Paullo ante scilicet dixerat mortuorum animas *μελίσσας* appellatas esse. Hesychium vero a Porphyrio pendere minime verisimile est. — Etiam aliarum dearum antistites, ut Magnae Matris et Apollinis, *μέλισσαι* appellabantur. Apollinis sacerdotem delphicam *μέλισσαν* iam Pindarus Pyth. IV 104 appellavit *ὦ μάκαρ υἱὲ Πολυμνάστου, σὲ δ' ἐν τούτῳ λόγῳ χρησμὸς ὤρθωσεν μελίσσας Δελφίδος αὐτομάτῳ κελάδῳ*. Atque fortasse fuit, cum auguria ab apium susurro caperentur, ut Thriae h. in Merc. v. 558 quasi quaedam apes describuntur, id quod tamen aliter quoque explicari potest. Cfr. etiam quae disputavimus ad huius hymni v. 45. Complura, non omnia, de *Μελίσσαις* sacerdotibus testimonia collegit Robert-Tornow, *de apium mellisque apud veteres significatione* (Berolini 1893), p. 91 sqq.; nonnulla addidit A. B. Cook, J. H. St. XV 1895, 14.

enim *ἄνασσα*, quod adiectivo adiungi non poterat, additur; cum illo *Δηώ* nomen *Κόρης* proprium *Περσεφόνεια* iungitur atque copulatur (v. 490sqq.)· *ἀλλ' ἄγ' Ἐλευσῖνος θυόεσσαν δῖμον ἔχουσα καὶ Πάρον ἀμφιρύτην Ἄντρωνα τε πετρήεντα, πότνια ἀγλαόδωρ' ὡρηφόρε, Δηοῖ ἄνασσα, αὐτὴ καὶ κούρη περικαλλὴς Περσεφόνεια.* Item tragoediarum poëtae non quamlibet Cererem sed unam certam, Eleusiniam, illo nomine indicarunt. Sophocles enim (Antig. v. 1119) Liberum dixit *μέδειν παγκοίνοις Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις*; Euripides (Suppl. v. 290) in fabula eleusinia escharam eleusiniam Cereris *σεμνὰς Δηοῦς ἑσχάρας* dixit; rursus (Hel. v. 1322) in narratione de Cereris filiam quaerentis erroribus, in narratione id est eleusinia, *τᾷ περὶ παρθένω Δηοῖ θυμωσαμένᾳ* ab Iove nuntium missum esse narravit. Aristophanes (Plut. 515) ita agricolae officium indicavit: *γῆς ἀρότροις ῥίξας ὀάπεδον καρπὸν Δηοῦς θερίσασθαι*, scilicet de fabula cogitat, qua Ceres Eleusinios primos et serendi et metendi artem docuisse ferebatur; quamquam minime nego hoc loco liberioris illius vocis *Δηοῦς* usurpationis vestigia prima conspici, quae mox aetate hellenistica pervaluit[1]). Nostrae vero opinioni non tantum favet, quod consuetudo usque ad aetatem infimam obtinuit in titulis sepulcrorum sacerdotum eleusiniorum illam deam *Δηώ* appellandi (nam et illi tituli, quot quidem novi omnes [IG III 700. 713. 718. 737. 900. 1311] aetate demum imperatorum romanorum conscripti sunt, ut suspicari liceat illud vocabulum a poëtarum usu arcessitum esse, et sacerdotes cum Lernaei [IG IV 666] tum Epidaurii [IG IV 1001—1002] III p. Chr. n. saeculo Cererem suam *Δηώ* appellaverunt), quantum quod Clemens Alexandrinus, quo loco fabulas sive eleusinias sive certe ab eleusiniis derivatas enarrat[2]), Cererem semper *Δηώ* nominat, ut Protr. 11, 20 Stähl. *Δηὼ καὶ Κόρη δρᾶμα ἤδη ἐγενέσθην μυστικὸν καὶ τὴν πλάνην καὶ τὴν ἁρπαγὴν καὶ τὸ πένθος αὐταῖν Ἐλευσὶς ἀμδουχεῖ*: 13, 2 *Δηοῦς μυστήρια*: 13, 4 *μῆνις . . . τῆς Δηοῦς, ἧς δὴ χάριν Βριμὼ προσαγορεύεσθαι λέγεται*: 13, 15 *μίγνυται δ'*

[1]) Afferre satis sit eiusdem Callimachi fr. 48; Theocr. VII 3; Apollonii IV 896. 986; A P VI 31, VII 209, IX 19, 8; hymnos orphicos. Verisimile profecto est Callimachum eo loco ubi sacra describuntur, a consuetudine sacrorum sollemni non discessisse.

[2]) In hanc enim opinionem non levibus de causis inclinat Pringsheim p. 49 egregiae dissertationis Bonnensis, quae inscribitur *Archäologische Beiträge zur Geschichte des eleusinischen Kultes* (Monachiae 1905).

αὖθις ὁ γεννήσας οὑτοσὶ Ζεὺς τῇ Φερρεφάττῃ τῇ θυγατρὶ μετὰ τὴν μητέρα τὴν Δηώ; 15, 22 *ἀλωμένη γὰρ ἡ Δηὼ κατὰ ζήτησιν τῆς θυγατρὸς τῆς Κόρης περὶ τὴν Ἐλευσῖνα*; 16, 4 *ξενίσασα ἡ Βαυβὼ τὴν Δηώ*, ut eius animum efferat, salsius quam honestius iocatur[1]), *ἡ δὲ* (16, 8) *τέρπεται τῇ ὄψει ἡ Δηώ*. An credamus illum librum aliquem minime vulgarem in suum usum convertisse (quae enim narrat et accurata sunt et non tam pervulgata, ut ea undique promere potuerit), nomini vero *Δημήτηρ* vocabulum *Δηώ* a poëtarum consuetudine arreptum per libidinem quandam substituisse? At Stephani Byzantini testimonio impedimur, quominus credamus unam Cererem Eleusiniam ita appellatam esse. Sub voce enim *Γέφυρα* ab hoc Tanagrae nomine antiquo *Γεφυραίαν Δηώ* appellatam esse dicit, id est, ut aiunt, Cererem illam *Ἀχαίαν*, cuius religionem Tanagra Athenas translatam esse narraverit Herodotus V 61. At illud *Δηώ* non in codicibus traditur sed e codicum lectionibus *ηηω*, *ηδυν* restitutum est, verisimiliter id quidem, sed tamen restitutum, ut non liceat illa lectione quasi tradita niti. At fingamus apud Stephanum *ἡ Γεφυραία Δηώ* traditum esse, quid inde consequitur? Nam, ut mittamus fieri potuisse ut ille hanc glossam e poëtis hellenisticae aetatis promeret, quis iam spondeat Stephanum cultum Tanagraeum Cereris *τῆς Γεφυραίας* novisse? Ex Herodoti enim (V 57) narratione hoc unum concludendum est, Gephyraeos, qui religionem Cereris *Ἀχαίας* quasi quandam peculiarem et propriam colerent, gentem atheniensem fuisse, quae se primitus Eretriae habitasse, inde Tanagram venisse, tum a Boeotis aliquanto post Laodamantem Eteoclis filium Thebarum regem pulsam Athenas concessisse praedicaret. Opinationes illae Gephyraeorum erant, inde fortasse derivatae, quod Tanagrae nomen mythicum *Γέφυρα* esset, ut Hecataeus (apud Stephanum s. v.) testimonio est. Quantum illius gentis coniecturis tribuamus, penes nos est; cultum vero tanagraeum Cereris Gephyraeae Stephanus certe non testatur; si quis enim nomen dei alicuius a certo loco repetit, ipse confitetur illam religionem iam sedes mutasse. Accedit quod religionis Cereris *Γεφυραίας* atticae testimonium etiam nunc superest, in Etymologico Magno s. v. *Γεφυρεῖς· δῆμος Ἀττικός, ὅθεν καὶ Γεφυραία Δη-*

[1]) De his lusibus cfr. Dielesii disputatio, Miscellanea Salinas (Panormi 1907), 3 sqq.

μήτηρ. Sane lexicographus vehementer erravit, cum demum cum gente confunderet; sed veriloquio illo demonstratur ab eo religionem atheniensem respici. Quid si unum eiusdem deae vocabulum atheniense Etymologus a gente Attica, quam sane falso *δῆμον* appellat, Stephanus vero ab illius urbis nomine a quo se oriundam ea gens credebat derivarunt, uterque suo periculo Herodotum exprimens? Nonne, hoc si sumimus, discrepantia illa facillime explicatur? Si vero religio illa attica fuit, nullo negotio percipitur, quomodo nomen Cereris Eleusiniae in eandem translatum sit. Atque etiam certa fuit fortasse causa, quae huic confusioni faveret. Nam, sive Etymologo credimus *Γεφυραίους* atque *Γεφυραίαν* cum ponte componenti in via Eleusinia, illo nobilissimo scilicet in quo sollemne erat mystas inter se vel etiam clarissimos quosque cives et irridere et conviciari[1]), sive etiam illi fidem recusamus, concedamus necesse est nullo modo fieri potuisse, ut Athenienses Cererem *Γεφυραίαν* ab illa dea separarent, cuius in honorem *οἱ γεφυρισμοί* instituti crederentur. Atque nescio an Stephani testimonium diligenter perpensum opinioni nostrae potius favere quam obstare videatur.

Atque tamen, quamquam tam multa eo conspirare videntur ut credamus Callimachum *λουτροφορίαν* eleusiniam respexisse, una certa causa impedimur, quominus illam sententiam recipiamus. *Μελίσσας* enim Cereris sacerdotes ille appellavit, cuius cognominis neque in fastis Eleusiniis neque in rationibus neque in legibus sacris ulla mentio superest, cum tamen illa documenta tam multa et tam accurate verbis concepta sint, ut casui et fortunae vix locus detur. Dixerit quispiam Callimachum illas suo Marte ita nominasse, ut imaginem quandam omnibus numeris absolutam atque perfectam sacri alicuius purissimi oculis proponeret. Atque illum id voluisse, etiam consecutum esse apparet. *Μέλισσαι* enim etsi sacerdotes dicuntur, nemo ex iis qui legerent erat quin simul cogitaret de bestiolis illis quae omnium purissimae haberentur, cum et coitu omnino abstinere crederentur[2]) et nullo alio cibo

[1]) De hac consuetudine cfr. potissimum, praeter hunc Etymologici locum quem modo exposuimus, Hesychius sub vocibus *γεφυρίς* et *γεφυρισταί*.

[2]) Aristoteles hist. anim. *E* 553 a 17 *περὶ δὲ τὴν γένεσιν τῶν μελιττῶν οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον πάντες ὑπολαμβάνουσιν;* sunt enim qui contendant *οὐ τίκτειν οὐδ' ὀχεύεσθαι τὰς μελίττας, ἀλλὰ φέρειν τὸν γόνον, καὶ φέρειν οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ ἄνθους τοῦ καλλύντρου, οἱ δ' ἀπὸ τοῦ ἄνθους τοῦ καλάμου, ἄλλοι δ' ἀπὸ τοῦ ἄνθους*

vescerentur nisi florum suco. Ut Euripides Hippolytum (v. 75 sqq.) coronam Dianae obtulisse fecit e prato, *ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ οὔτ' ἦλθέ πω σίδαρος, ἀλλ' ἀκήρατον μέλισσα λειμῶν' ἠρινὴ διέρχεται, Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.* Sequitur ex illo prato flores colligere illis tantum licere, quibus pudicitia innata sit. Haec scio, at Callimachus cum elegantissimus tum severior, etiam putidior fuit quam ut nomen sacerdotum de religione in religionem transferret.

Conicere fortasse licet descriptionem illam non in caeremonias Eleusiniorum atticorum cadere, sed in mysteria quae illa aetate in pago cognomine alexandrino habita sint, ubi ipse Callimachus adulescens pueros litteras docuerat [1]). Simile est quod hymno sexto sacra describuntur eaque mystica Cereris in honorem non in Attica sed Alexandriae facta. Pariter Clementem Alexandrinum alexandrinam religionem, non atticam, illis locis quos exscripsi, respexisse satis idoneis de causis conclusit Pringsheim (p. 49). Ea tantum de causa certum aliquid adseverare dubito, quod fons sacer potius in Athenienses vel in quospiam alios quadrare videtur quam in Alexandrinos, qui Nilum biberint.

οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι singulariter dictum est, ita tamen ut praestet tradita interpretari quam coniectura temptare: ad illud enim quod est *παντός* a voce quae confestim sequitur *ὕδωρ* sive ipsum verbum *ὕδατος* sive notio cognata supplenda est. Vel difficiliora sunt quae secuntur. Vahlenus enim (p. 826 adn. 1) totam sententiam ita interpretatur, quasi scriptum exstaret, *ἀλλ' ἄκρον ἄωτον ὀλίγης λιβάδος φορέουσιν, ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει πίδακος ἐξ ἱερῆς*; voces enim *ὀλίγη λιβάς* pronominis relativi, quod ad eas referatur, casu attractas esse. At, si Callimachus ita scripsisset, omnem operam dedisse videretur, ut eos qui legerent in errorem induceret: quicumque enim libera mente hanc verborum comprehensionem legerit, credet *ὀλίγη λιβάς* et *ἄκρον ἄωτον ἐκ παραλλήλου*, ut aiunt, posita esse. Quaesiverit quispiam, cuius rei *ὀλίγη λιβάς*, parva vena (nam venam intellegi iam opus est), *ἄκρον ἄωτον* sit. Atque concedendum est *ἄκρον ἄωτον* eam notionem flagitare quae plerumque genetivo partitivo exprimitur; Callimachus enim illam iuncturam e Pindaro prompsit, qui cum illa

τῆς ἐλαίας. Quod animal purius mente effingi potest quam quod e floribus nascatur? Cfr. de gen. anim. *Γ* 759 a 8.

[1]) Cfr. Suidas s. v. *Καλλίμαχος*.

semper ita utitur ut diximus, tum etiam (Isthm. VII 25) *σοφίας ἄκρον ἄωτον* scripsit. At ita prorsus ex illo *πίδακος ἐξ ἱερῆς* id quod est *ὕδατος* ad *ἄκρον ἄωτον* cogitatione supplendum est ut ex illo *ὕδωρ* ad *ἀπὸ παντός* notio cognata: atque etiam nescio an hoc audacius dictum sit quam istud. Ita fere igitur ille locus interpretandus est: „Non ab omni (lacu vel flumine) Cereri aquam melissae portant, sed a vena tantum quae, aquae purissimus quidam flos, e sacro fonte salit."

113 In hoc versu cur lectionem scholii ad Gregorium Nazianzenum *Φθόνος* illi verbo, quod in Callimachi libris scriptum exstat *Φθόρος*, praetulerimus, e disputationibus nostris iam satis superque eluxit: *Φθόρος* enim nulla certa persona fuit, quae cum Momo coniungi posset; Phthonus cum Momo consociatus esse etiam traditur. Quod Wilamowitzius (Göttinger Nachrichten 1893, p. 745 adn. 2) structuram huius versus *ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ Φθόνος, ἔνθα νέοιτο* cum theocriteis illis in Helenae epithalamio comparat (XVIII 16) *ἐρχομένῳ τοι ἐς Σπάρταν, ἅπερ ὦλλοι ἀριστέες ὡς ἀνύσαιο*, nodum in scirpo quaerere videtur. Nam, quamquam minime negamus Callimachum ita loqui potuisse ut verbum substantivum reticeret, adverbium status cum adverbio motus confunderet, quod motus notio praecederet, multo planius ille locutus videtur esse: neque enim ullum aliud vocabulum reticuit nisi in sententia relativa verbum veniendi, quod in sententia principali positum est. Interpretandum est: „Utinam Momus eodem, id est in malam rem, abeat, quo iam Phthonus caelo ab Iove pulsus abiit."

II. De fabulis cyrenaeis.

1

Hymnum in Apollinem non penitus intelleget nisi qui fabulas de Cyrena heroina et de Cyrenis urbe penitus norit. Quas singularibus libellis cum abhinc complures annos Franciscus Studniczka[1]), tum nuper Ludolphus Malten[2]) ita prosecuti sunt, ut plurimorum plausum ferrent. Ego vero, quamquam utriusque et diligentiae et acumini meritas laudes non detrecto, facere tamen non possum quin confitear nondum omnes mihi scrupulos esse exemptos, etiam me censere Maltenium de compluribus rebus minus recte sensisse quam Studniczkam. Totam autem illam quaestionem inde ab umbilico rursus repetendam esse duco, ita tamen ut quae iam extricata sint, in iis quam brevissime commorer, minus gravia etiam omnino omittam.

A Cyrena ordior. Quam Callimachus (v. 90 sqq.) Theraeos Carnea primum in Libya agentes cum Apolline de Myrtussa benivole spectasse fecit, ubi leonem Eurypyli gregis vastatorem necasset. Pindarus cecinerat (Pyth. IX 5—70) Apollinem in Pelii valle Cyrenen Hypsei, regis Thessali, filiam, quam Creusa nympha Peneo genuisset, cum leone sine armis luctantem vehementer miratum esse, illiusque amore percussum e Chirone centauro quaesivisse, quis illa virgo esset. Cui Centaurum respondisse se mirari, qua de causa qui omnia nosset, se de illius nomine percontaretur; illam vero ei destinatam esse uxorem, quam in Libyam secum raperet, ubi postea urbem clarissimam ab ea appellatum iri; in praesentia fore ut puer ab ea nasceretur Aristaeus, quem Mer-

[1]) F. Studniczka, Kyrene, Lipsiae 1890.

[2]) L. Malten, Kyrene, Berlin, Weidmann 1911 (Philologische Untersuchungen XX). Ex illis qui Maltenii libri censuram publici iuris fecerunt vel etiam Maltenii copiis usi ipsi de fabulis cyrenaicis disputaverunt, honoris causa nomino: V. Costanzi, Ausonia VI 1911, 27 sqq., A. Ferrabino, Atti di Torino XLVII 505 sqq., Aly, B. ph. Woch. 1912, 1033 sqq. Ante Maltenium plurima enucleaverat A. Gercke, Hermae XLI 1906, 447 sqq.

curius et Horae educarent et immortalem redderent. Chironis vaticinium mox impletum esse.

Inde quod Chiron Apollinem risisset, qui, cum omnia sciret, semideum tamen quae futura essent interrogasset, recte concluserat Studniczka (p. 41) Pindarum adversus certum poetam pugnare, quem, qua fuerat simplicitate rustica atque agresti, fugisset Apollinem deum vatem ipsum vaticinio non indigere: neque enim fieri potuisse, ut Pindarus ipse talia fingeret, quae sibi statim redarguere opus esset. Addere potuit verbis illis Chironis callidissimis (v. 51 sqq.) *ταύτᾳ πόσις ἵκεο βάσσαν τάνδε καὶ μέλλεις ὑπὲρ πόντου Διὸς ἔξοχον ποτὶ κᾶπον ἐνεῖκαι* reprehensionem quandam Apollinis adumbrari: voluit enim Centaurus: „tecum ea communicabo, quae tamen ipse penitus noris; maritus, eo animo ut Cyrenem uxorem ducas, huc venisti, illud licet dissimules"; eum scilicet mendacii tecte insimulat. Nomen carminis quo Chironis cum Apolline colloquium, Cyrene rapta, Aristaeus natus continebantur, scholiasta Pindari ad v. 6 suppeditavit, Hesiodi Eoeam; idem primos nobis versus servavit: *ἣ οἵῃ Φθίῃ Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσα Πηνειοῦ παρ' ὕδωρ καλὴ ναίεσκε Κυρήνη.*

Studniczkae rationes et firmavit et exaedificavit Maltenius (p. 1 sqq.) aliquantum tamen ultra fines progressus. Apollonius enim continuo post Cyrenae nuptias Aristaei vitam (II 506 sqq.) enarrat, Musas eum eduxisse usque ad nuptias suique gregis pastorem fecisse: eum postea ab insularum incolis arcessitum sociis ex Arcadia congregatis Ceum migrasse, ibi Sirii iram placasse ara Iovi *Ἰκμαίῳ* constituta et re divina ambobus illis diis facta: tum enim statim etesias flare coepisse et quadraginta dies spirasse; usque vero ab illa aetate Ceos religionem Canis coluisse. Quod Apollonius hunc excursum de etesiis (nihil enim ad reliquam narrationem facit) ita introducit (II 500) *Κυρήνῃ πέφαταί τις ἔλος πάρα Πηνειοῖο μῆλα νέμειν προτέροισι παρ' ἀνδράσι*, ita concludit *καὶ τὰ μὲν ὣς ἐδέοντται*, inde Maltenius (p. 11 sq.) effecit totam historiam illinc manasse unde priorem partem, Cyrenae raptus descriptionem, ex Eoea. Quae primo adspectu recte conclusa esse videntur, atque etiam Cydippae Callimacheae fragmento oxyrhynchio comparato potius stabiliuntur quam labefactantur: Callimachus enim et Aristaeum et illos commemoravit (v. 33 sqq), qui e sacerdotibus sunt *Ἰκμίου, οἵσι μέμηλεν ἐπ' οὔρεος ἀμβώνεσσιν πρηΰνειν χαλεπὴν Μαῖραν ἀνερχομένην, αἰτεῖσθαι τὸ δ' ἄιμα παραὶ Διὸς ᾧ τε θα-*

μινοὶ πλήσσονται λινέαις ὄρτυγες ἐν νεφέλαις[1]). Quae tam similia sunt apollonianorum illorum *καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς Ἰκμαίοιο, ἱερά τ' εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ Σειρίῳ αὐτῷ τε Κρονίδῃ Διί· τοῖο δ' ἔκητι γαῖαν ἐπιψύχουσιν ἐτήσιαι ἐκ Διὸς αὖραι ἴμματα τεσσαράκοντα· Κέῳ δ' ἔτι νῦν ἱερῆες ἀντολέων προπάροιθε Κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς*, ut necesse sit existimare Apollonium etiam hoc loco, ut solet, Callimachum secutum esse: utroque enim loco non tantum eadem narrantur, sed sacrificia in summis montibus fieri commemoratur, utroque loco venti sacrificiis quasi coacti spirare dicuntur, utroque loco sacerdotes etiam in posterum illos ritus servasse narrantur. Sed manifestum est Apollonium non uno Callimacho usum esse sed verba verbis Callimachi aptasse, res ex eodem fonte derivasse e quo Callimachum. Nam Callimachus Maerae, unius e Pleiadibus, ortum, Apollonius Canis ardorem commemorat; Apollonius Aristaeum populum ex Arcadia congregasse narrat, Callimachus reticet. Quae per se etiamsi aliter explicari fortasse possunt, e communi tamen fonte repeti debebunt, simulatque constiterit Callimachum illam fabulam non ipsum invenisse sed e vetustiore auctore derivasse. Hic vero ita e transcursu eam potius adumbrat quam enarrat, quasi omnibus qui legant nota sit; quod certissimum argumentum est.

Usque adhuc Malteni rationes potius confirmavimus quam labefactavimus. Atque tamen sunt, ut dixi, quae dubitationem faciant. Pindarus enim scripsit Aristaeum heroina natum ab Horis et Gaea immortalem deum nectare et ambrosia in labella instillatis factum esse: *ταὶ δ' ἐπιγουνίδιον θηκάμεναι βρέφος αὐταῖς, νέκταρ ἐν χείλεσσι καὶ ἀμβροσίαν στάξοισι, θήσονταί τε νιν ἀθάνατον, Ζῆνα καὶ ἁγνὸν Ἀπόλλων', ἄνδρασι χάρμα φίλοις, ἄγχιστον ὀπάονα μήλων, Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀριστᾶον καλεῖν.* Atque haec ab Eoea fluxisse, non ab ipso Pindaro inventa esse, testimonio est Servius ad Georg. I 14 *Aristaeum invocat . . ., quem Hesiodus dicit Apollinem pastoralem.* Num Aristaeus hic apolloni-

[1]) Quae praecedunt, exscribere nolui, nam v. 33 neque sanum censeo neque ipse sanare possum: traditur *αὐτὰρ ὁ Κεῖος γαμβρὸς Ἀρισταίου . . . τιος ἀμφ' ἱερῶν*, sed *τι* incerta, *μ* in *ἀμφί*, ut videtur, transductum. Quae Wilamowitzius ita emendata supplevit *Ἀρισταίου* [*λή*]*ιτος ἀμφ' ἱερῶν*. Sed ex Apollonio discimus hoc loco Aristaeum, non Iovem, *Ἰκμαῖον* appellatum esse, sed *Ἴκμιον* Iovis nomen fuisse, cui Aristaeus aram constituisset. Neque ergo Aristaei, sed Iovis sacerdotes exspectantur.

anus se quasi deum praestat, qui orbem terrae pererrat, ut ara Iovi constituta, Sirio re divina facta pestilentiam arcessat? Hercules totum terrarum orbem pererravit, ut genus humanum a monstris liberaret, multa passus multa et magna gessit, sed morte demum in superos sublatus est. At dixerit quispiam non tam multa exempla heroum exstare, qui dei facti sint, ut certi quid concludere liceat. Id quidem libenter concedo, quamquam ipse animum inducere non possum, qui immortalis factus sit, Fortunae subici: sed mordicus teneo non constare, utrum Apollonius ab una Eoea pendeat an etiam a carmine peculiari de Aristaeo[1]). Nam neque testimonia exstant ulla et Aristaeo in deorum numerum relato Eoea optime concludi poterat. Neque quod Apollonius excursum *προτέροισιν ἀνδράσιν* allatis introducit, verbis *καὶ τὰ μὲν ὡς ὑδέονται* concludit, inde efficere licet illum omnia ex uno auctore prompsisse.

Utcumque autem res se habet, nego Hesiodum in Eoea Actaeonis mortem, Aristaei et Autonoae matris maerorem cecinisse. Quid? quod Autonoa in Theogoniae appendice (v. 977) commemoratur *Αὐτονόην θ' ἣν γῆμεν Ἀρισταῖος βαθυχαίτης*, id testimonio est VII a. Chr. n. saeculo Actaeonis fabulam notam fuisse, illam in Eoeis exstitisse? Idque ea de causa quasi certissimum sibi sumunt, quod haec Theogoniae pars a Pausania (I 3, 1) *ἀπὸ τῶν ἐπῶν τῶν ἐς τὰς γυναῖκας*, id est ex Eoeis citatur. At quis spondet Autonoen non nomen fuisse ad stemma delineandum fictum ab eo qui Actaeona norit, eum a Diana caecatum nondum scierit? Atque ipsum nomen ideirco compositum esse videtur, ut hexametro

[1]) Discrepantiis contra inter Pindarum et Apollonium non multum tribuo. Pindarus narravit Mercurium Aristaeum infantem ad Horas et Gaeam portasse; Apollonius Chironem illum educasse. Quod non tam genuinum videtur: Chiron enim e priore fabulae parte in posteriorem facile transferri poterat, Mercurius non tam facile inveniri. Pindarus cecinit Horas et Gaeam illum immortalem fecisse; Apollonius Musas eum medicinam et vaticinium docuisse eique matrimonium parasse, illum immortalem factum reticet: non sine causa, Aristaeum enim heroem existimavit, *ὃν καλέουσιν Ἀγρέα καὶ Νόμιον πολυλήιοι Λίμονιῆες*. Pindarus fecit Cyrenem in Libyam raptam a dea Libya receptam esse, Apollonius a nymphis, *αἳ Λιβύην ἐνέμοντο παραὶ Μυρτώσιον αἶπος*, id est, ut Maltenius (p. 11) e IV 1230 sq. recte conclusit, ab *Ἠρώσσαις*, sive Matribus libycis. Quae fabulae forma cum doctiorem tum recentiorem speciem prae se fert. Haec omnia fieri potuit ut ipse Apollonius primus mutaret. Sane, simulatque demonstraverimus carmen cyrenaeum fuisse, quo et Apollonius et Callimachus usi sint, haec quoque non iam ab Apollonio sed ab illo carmine repetemus; sed illis discrepantiis in praesentia quasi argumento uti non licet.

insereretur, non a religionibus in carmina esse translatum. „At Stesichorus (apud Pausaniam IX 2, 3) et Acusilaus (apud Apollodorum personatum III 30 sqq.) Actaeonem a suis canibus laceratum esse narraverunt." Qui Stesichorus, quaeso? Complures enim nuper rectissime distinxit Wilamowitzius (Sappho und Simonides 233 sqq.). „At Acusilaus certe carmina hesiodea in orationem pedestrem vertere soluit." Quis spondet illum uno Hesiodo usum esse, cum praesertim illius operis misera tantum frustula servata sint?

Equidem non nego iam satis antiqua aetate narratum esse Actaeona, propterea quod deum quendam laesisset, in cervum conversum a suis canibus laceratum esse. Nam et Stesichorus, quicumque iste Stesichorus fuit, et Acusilaus et Polygnotus, quem Autonoen et Aristaeum cervi pellem manibus sustinentem et cervi pelli insidentem pinxisse testatur Pausanias X 30, 5, satis antiqui testes ipsi sunt; sed pertinaciter nego Hesiodum in Eoea narrasse deum Aristaeum filium unicum amisisse et orbum maestam senectutem egisse: haec enim in deum non quadrant. Si testimonia exstarent, aegre quidem, sed crederem tamen; at non exstant. Nihil enim inde concludi potest, quod versus nonnulli subrustici illi quidem et antiqui de Actaeone a canibus discerpto ab Apollodoro personato (bybl. III 32) servati sunt. Antiquos enim esse acutissime demonstravit Maltenius (p. 22): illius enim canes Diana ad necem commovisse videtur, ipsi tamen Actaeonem *Διὸς ἐννεσίῃσιν* interfecisse; id quod cum Stesichori fabula optime concinit, quam non satis accurate ille quidem Pausanias nobis repraesentat IX 2, 3: *Στησίχορος δ Ἱμεραῖος ἔγραψεν ἐλάφου περιβαλεῖν δέρμα Ἀκταίωνι τὴν θεόν, παρασκευάζουσάν οἱ τὸν ἐκ τῶν κυνῶν θάνατον, ἵνα δὴ μὴ γυναῖκα Σεμέλην λάβοι*, item cum Acusilao, qui narravit Iovem Actaeoni suscensuisse, quod *ἐμνηστεύσατο Σεμέλην*. Quae fabulae forma et genuina (nam Actaeonis similes heroes e fabulis antiquis novimus complures, ut exempla afferam, Tityum et Orionem) et postea mutata est; Callimachus enim iam narrat Actaeonem in eo peccasse, quod Dianam nudam conspexisset. Sed antiqui fuerint illi versus licet, cur demum hesiodei? vel, ut cautius loquamur, quo argumento freti illos versus ad Eoeam de Cyrena et Aristaeo referamus (nam ut carmen de Actaeone Hesiodi nomen prae se ferret, fieri potuisse libenter concedo)?

Quando illa fabulae forma loco mota recentiori cesserit,

omnino non constat: utram Polygnotus secutus sit, e Pausaniae descriptione non elucet. Singularem sibi fabulam Euripides, ut solet, ipse concinnavit (Bacch. v. 337) Dianam venandi aemulum ultam esse. Timaeus vero aetate hellenistica iam ineunte scripsit (ap. Diodor. IV 81) esse qui crederent Aristaeum spoliis in Dianae templo dedicatis huius nuptias sibi adipisci conatum esse: quam fabulam e vetustiore ita detortam esse apparet, ut stuprum removeretur, quod multis iam offensioni esset, amor vero de Semela in Dianam transferretur, quae Actaeonem ipsa punivisse narraretur. Atque, ut quae sentio, aperiam, Actaeon Dianam nudam vidisse aetate fortasse demum hellenistica narrari coeptus est. Nam et tanta deae verecundia novicia videtur et consentaneum est Actaeonem primum deam non invitum conspexisse, sed illam eo animo aucupatum esse, ut eius pulchritudine frueretur. Illos versus tamen, cum tam non elegantes sint, equidem satis antiquos iudico.

Ut omnia paucis comprehendamus, nullum testimonium exstat Hesiodum in Eoea de Cyrena Actaeonem a canibus discerptum narrasse; etiam constat illum res adversas et flebilem senectutem Aristaei, quem deum existimaret, vix narrare potuisse; versus de Actaeone apud Apollodorum personatum traditos satis antiquos illos quidem nulla causa est cur ad Eoeam de Cyrena referamus [1]). At, si me audis, illud carmen Aristaeo puero in deorum numerum relato, vel etiam, quod mihi multo minus verisimile videtur, Sirii furore ab eodem placato concludebatur.

2

Iam a vestibulis et aditu in ipsa quaestionis penetralia transgrediamur: Pindarus cecinit (Pyth. V 21 sqq.) Cyrenen feras Hypsei patris a pecore arcuisse, in Pelii (v. 5) saltu cum leone sine armis dimicasse, Callimachus (h. in Apoll. v. 91 sqq.) eam in Myrtussa colle cyrenaeo leonem interfecisse, qui Eurypyli greges voraret.

[1]) Nihil in hac quaestione illi comparationi tribuo quam Maltenius (p. 25) inter Eoeam de Cyrena a se restitutam et Eoeam de Coronide a Wilamowitzio refectam instituit. Nam, ut omittam Eoeas sine dubio non ab uno poëta neque una aetate compositas esse, ut concinnitatem tam accuratam requirere liceat, similitudo inter illa duo carmina intercedit, verum si fatemur, nulla. Nam Aristaeus, qui deorum donis cumulatur, non ipse peccat, ut Aesculapius, verum ipsius filius Actaeon; non Apollo Actaeonem ulciscitur, sed Diana; Apollinis in eo carmine, quod Maltenius finxit, partes aliquae, Delphorum vel delphici Apollinis prorsus nullae fuerunt.

Maltenius (p. 57 sqq.) contendit Callimachum pristinam huius fabulae memoriam repraesentare. Cuius argumenta quamquam mihi non omnia pariter probantur, confiteor tamen illum id effecisse, quod voluit: qua vero de causa Hesiodus Cyrenen libycam in Thessaliam transtulerit, quid e fabula ab eo composita vel mutata ad historiam Cyrenarum noscendam redundet, de his rebus a Maltenio vehementer dissentio. Sed quae mihi illius opinionis sustentacula infirma videantur, primo enarrabo; tum argumenta ab eo allata pro virili parte supplere conabor; tum denique quas quaestiones extremo loco commemoravi, breviter perstringam. In primis cavendum est, ne cum Maltenio (p. 58 sqq.) Callimachum fabularum patriae suae interpretem omnium unum genuinum fuisse credamus, qui concederet (h. in Dian. v. 206 sqq.) Cyrenen virginem cursus praemium inter duas canes, quas ei Diana donasset, currendo tulisse non in Libya sed in Thessalia ad *τύμβον Ἰώλκιον*, id est, ut Meinekius (ad l.) et Vahlenus (Berliner Sitzungsber. 1896, 821 sqq.) rectissime docuerunt, *ἐν ἄθλοις ἐπὶ Πελίᾳ*; qui etiam eo ipso loco, quo Maltenius nititur, caneret Apollinem *προτέρης ἁρπακτύος* meminisse. Cuius, quaeso, nisi illius nobilissimae de Thessalia in Libyam? Quo ergo iure Maltenius, qui hos locos scilicet et affert et disceptat, sibi quasi pro certo sumit Callimachum nobis fabulam cyrenaicam servasse, qui utroque loco, ubi Cyrenen commemorat, a carminibus in Graecia septentrionali compositis manifesto pendeat? Nam equidem non assequor, quo iudicio fretus Maltenius (p. 54) affirmarit non ante Callimachi aetatem narrari coeptum esse Cyrenen in ludis funebribus cucurrisse[1]). Immo illius loci elegantia et sales omnino pereunt, nisi fabula adumbratur, quae iis qui legant nota sit. — An Cyrenaei pristini narrarunt Cyrenen in Thessalia adolevisse, adultam ab Apolline in Libyam translatam esse, ibi greges regis Eurypyli adversus leones defendisse? Confidentius igitur Maltenius e fabula callimachea fabulam cyrenensem restituit. Nam nullo alio sustentaculo aedificium illud incerto, ut videtur, fundamento inaedificatum fulcitur. Acesander enim, scriptor cyrenaeus III. vel II. a. Chr. n. saeculi, cui nescio qua de causa tantum tribuerit Maltenius, pariter ab Hesiodo pendet, pariter enim (schol. ad Apoll. II 498) Cyrenen e Thessalia in

[1]) Nimium vero argumento e silentio prompto tribuit, cum affirmat recentiorem speciem prae se ferre, quod Cyrenae adversarii non commemorati sunt; Callimachi enim nihil intererat e carmine vetusto nomina corradere.

Libyam translatam esse fecit, pariter Phylarchus. In thesauro Cyrenaeorum delphico Cyrene cum leone dimicans sculpta erat: sed utrum Libya an potius Apollo Cyrenae a sinistra steterit, ipse Maltenius (p. 57) confitetur e reliquiis diiudicari non posse[1]). Neque ergo extricari poterit, utrum in Libya an in Thessalia, qui sculpsit, leonem interfectum esse existimaverit. Quod vero in anaglypho aetatis romanae, quod Studniczka (p. 30) delineandum curavit, Libya, cuius nomen titulus adscriptus testatur, Cyrenen cum leone luctantem coronans repraesentatur, illud testimonium nullius fere preti est, cum omnino non constet, quando illius operis exemplar (nam anaglyphum *ἀπόγραφον* est) sculptum sit.

Maltenius (p. 69) contendit *Κυρήνην* longiorem formam esse nominis fontis cyrenaei quod est *Κύρη*. Ego vero, quomodo illae voces cohaereant, etiam num cohaereant, me omnino nescire confiteor. Nam ex exemplis, quae attulit, nullum est, quod huc facere demonstrari possit. Multa enim formarum paria attulit, quarum altera ex altera facta esset suffixo *-ήνη* addito detracto. At nescio, quo iudicio fretus opinetur *Μέσσην* et *Μεσσήνην*, *Πέλλαν* et *Πελλήνην*, Pylen et Pylenen unam eandemque civitatem fuisse. Homerus in navium catalogo urbem spartanam *Μέσσην* (*B* 582) recenset, Apollodorus sive potius nescio qui grammaticus, quem Apollodorus attulit, affirmavit (Strab. VIII 364, p. 516, 24 M) hanc vocem per apocopen e *Μεσσήνη* factam esse. An testimonio uti licet, quasi id quod grammaticus suspicatus est, traditum esset? Quin potius confiteamur, quam urbem Homerus voluerit, nos plane nescire? Stephanus s. v. *Ἄβαι* e nomine urbis *Πύλη* ethnicon *Πυλήτης* formatum dicit: quo iure suminus hanc urbem *Πύλην*, de qua nullum aliud testimonium iam superest, eandem esse quam urbem achaicam *Πυλήνην*? Idem Stephanus s. v. *Πέλλα* urbem huius nominis achaicam fuisse asseverat; Maltenius vero contendit Pindarum eandem voluisse, cum Olymp. IX 98 *Πελλάναν* commemoraret, quae sane urbs in Achaia posita erat. At qua de causa non urbes duae nomine non eodem sed non prorsus dissimili in Achaia fuerint? Ut quod volo, brevi comprehendam: Maltenio, quantum video, non contigit, ut demonstraret binas formas nominum singularum urbium exstitisse, quarum altera suffixo *-ήνη* aucta esset, altera ab ipsa stirpe derivata.

[1]) Cfr. Treu, Olympia III 19 sqq.

Adicit ex *Κύρη* ethnicum *Κυρηνός* ita derivatum esse, ut a *Δίη Διηνός*, inde vero accentu retracto urbis nomen *Κυρήνη*. Equidem confiteor me non assequi, qua ratione hanc doctrinam et illam, quam nuper redargui, quasi una atque eadem essent, ambas uno verborum complexu Maltenius exponat. Quarum si alteram recipimus, alteram falsam esse necesse est credamus. Utcumque autem id est, si Eustathium (p. 280, 35) cum Stephano s. v. *Δία* et *Δίον* comparaverimus, ad quas ille relegat, iam elucebit *Διηνούς* cives urbis in Coelesyria positae appellatos esse. Atque in universum frustra ethnica istius suffixi *-ηνός* sive *-ανός* ope formati quaerentur, nisi in Asia (*Λαμψακηνός*, *Ἀδραμυττηνός*, *Ἀλαβανδηνός*, *Περγαμηνός*, *Παριανός*) et in Thracia (*Σαλυμβριανός*, *Καρδιανός*). Quid igitur? quis iam spondeat illa ethnica graeca esse, quorum in Graecia ne vestigia quidem supersint?

Atqui, licet testes fabulae de Cyrena nympha cyrenensi germani atque genuini iam supersint nulli, licet, quomodo nomen nymphae sive urbis cum nomine fontis cyrenensis, quod fuit *Κύρη*, cohaereat, certo definiri non possit, in eam tamen opinionem inclinamus, ut existimemus Maltenium, si non omnino recte, at tamen rectius de Cyrena iudicasse quam Studniczkam. Nam fac Cyrenen fuisse deam graecam vel certe thessalicam, a cuius nomine coloni Thessali urbem in Libya conditam appellassent, in difficultates iam incidimus multo maiores.

Rectissime enim Maltenius (p. 63 sqq.) demonstravit praeter hanc Cyrenem thessalicam alias eodem nomine fuisse nullas. Quo iam fundamento freti contendimus illud nomen graecum fuisse deae minime graecae, *ποτνίας θηρῶν*? Non nego facile fieri posse, ut dei cuiusdam vetusti vestigia non supersint nisi pauca eaque incerta, etiam ut illius memoria prorsus evanescat, sed, quotiescumque hoc factum est, ultra suspicionem progredi non licet. Sed, ut hoc missum faciamus, quin etiam quasi pro certo sumamus deam thessalicam Cyrenen olim fuisse, qua de causa Hesiodus illius raptum in Libyam finxit? Quo vinculo Libya et Thessalia coniungebantur? Sane, dixerit quispiam, Cyrene olim leonem narrabatur in Thessalia interfecisse, tum, cum urbis a colonis Thessalis illius deae nomine Cyrenarum appellatae gloria percrebuit, fuit poeta graecus, qui caneret nympham ab Apolline raptam in Libya illi deo Aristaeum genuisse, id est originem colonorum thessalicam vindicaret. At mirum esset leones a Thessalia in Libyam

leonum aridam nutricem, translatos esse. Neque vero infitior fieri potuisse, ut leonum in fabula thessalica partes essent aliquae; Hercules enim adversus leones Nemeum et Cithaeronium pugnavit, leo Lesbi (schol. Theocr. XIII 16) nymphas exterruit, nymphas sive Ceo (Heracl. *περὶ πολιτειῶν* 9) sive de Parnaso Ceum (Callimachi Cydippae v. 56) pepulit. Qui talia narrarunt, noverant leonem feram quandam atrocem esse: utrum in Graecia an in Asia habitaret, in fabula componenda non curabant. Atqui minime verisimile est Cyrenaeos non ipsos credidisse suam deam adversus leones pugnasse, quos rudentes noctu saepissime audirent, sed illam narrationem de Thessalia arcessivisse.

Qua ratione haec quaestio minime profligatur, ad exitum fortasse adducetur, si iam quaeretur, quomodo Cyrene cum Aristaeo cohaereat. Religio Aristaei in Libya fuit, quantum scimus, nulla[1]); eodem pertinet, quod Pindarus canit Mercurium Aristaeum infantem a matre asportasse, Apollonius narrat Musas eum pastorem sui gregis fecisse in Thessalia, Callimachus Cyrenaeos Apollinem Nomium, non Aristaeum invocantes fingit. Inde concludimus Hesiodum primum Aristaeum in Libyam transtulisse. Restat ut quaeramus, utrum idem primus illum Cyrenae filium dixerit an traditam fabulam secutus sit. Aristaeus hesiodius dei atque heroinae filius est (nam fuerit licet Cyrene primitus dea, Hesiodus illam heroinam esse voluit, siquidem illius raptum in Eoeis perstrinxit), mortalis igitur. Qui autem legebant, unum Aristaeum non heroem sed deum norant[2]), ut Hesiodo opus esset narrare Gaeam et Horas eum nectare et ambrosia labellis instillatis immortalitate donasse. Sane fieri potuit, ut antiqua dea thessalica, quam sibi Studniczka menti repraesentavit, illius Hesiodi aetate, quisquis ille fuit, divinitate privata atque ad feminae mortalis humilitatem redacta iam esset atque pariter Cyrenaei suae urbis eponymam heroinam, non deam iam crederent: sed qui heroina deus nasci potuit? „At Liber Semela thebana natus est.“ At pater statim eum in caelum rapuit. Accedit quod Aristaei parentes primitus non Apollinem et Cyrenen, sed prorsus alios fuisse traditum est: apud scholiastam enim in Apollonium Rhodium ad II 498 legimus Bacchylidem quen-

[1]) Cfr. Malten, p. 82 sq. Infirmo fundamento nititur Ferrabinus, cum contendat Aristaeum deum et thessalicum et libycum Hesiodum commovisse, ut Cyrenen in Libyam transferret.

[2]) Testimonia de Aristaei religionibus collegit Maltenius p. 77 sqq.

dam complures Aristaeos distinxisse, quorum quartum Urani et Gaeae filium fuisse. At Pindarus vel potius Hesiodus hoc stemma norat, siquidem narravit non Horas tantum verum etiam Gaeam nectar et ambrosiam infantuli labellis infudisse, id est illum in filii locum adoptatum ex homine deum, e mortali immortalem fecisse. Inde concludo Hesiodum primum non tantum Aristaeum deum thessalicum e Thessalia in Libyam transtulisse, tum de Libya in Thessaliam reportasse, verum etiam illum primum finxisse Aristaeum Cyrena natum esse. At si Cyrene ipsa thessala fuisset, ei opus non erat Aristaeum illi invitae invitum filium inculcare legitimae matri Gaeae ademptum; qua vero de causa fecit, nisi ut Cyrenen heroinam non thessalam in Thessaliam quasi insinuaret?

Quae nobis effecisse videmur, paucis comprehendamus, iter ad sequentia muniamus. Aristaeus deus thessalus fuit, Cyrene urbis libycae eponyma. Poëta quidam hesiodius Aristaeum Apollini et Cyrenae filium supposuit, ut hanc scilicet cum Thessalia coniungeret. Filium mortalem nasci necesse fuit; ille poëta finxit eum infantulum a Gaea, quae olim mater fuerat genuina, non adoptiva, in filii locum adoptatum atque in deorum coetum receptum esse. Aristaeo, heroinae libycae filio, in Libya nasci opus fuit; Hesiodus narravit eum infantem in Thessaliam reportatum esse. Qui vero Cyrenen ad Peliae tumulum cucurrisse cecinit, post Eoeam scripsit.

Reliquom est ut quaeramus, qua de causa Hesiodus fabulam composuerit, quae cum Thessalorum opinionibus de Aristaeo tam vehementer dissideret. Non profecto ut pulchrum carmen componeret; potuit enim fingere Cyrenen in quamlibet terrarum orbis regionem raptam quemlibet filium genuisse. Neque vero, ut Apollini Delphico gratificaretur, ut Maltenius (p. 10) contendere videtur; fuerit licet ille Hesiodus Delphicus — quamquam Maltenium id demonstrasse nego: quod enim illud inde concludit, quod poëta complures deos, Aristaeum, Iovem Aristaeum, Apollinem Nomium, Agreum, Opaonem in unam formam redegit, infirmiore fundamento nititur; nam quis spondet solos sacerdotes delphicos illud voluisse? qua vero ratione illud poëtae institutum cum matre Cyrena cohaeret? — sed fuerit licet ille poëta Delphicus, qua de causa poëta delphicus nympham libycam in Thessaliam transtulisse putandus sit, non assequor. Immo in Boeotiam fecisset. Equi-

dem confiteor mihi iter illud non aliunde explicari posse videri nisi e certo poëtae consilio, ut colonorum cyrenensium origines thessalicas vindicaret; id vero illi in mentem non venisset, nisi ipsi Cyrenaei thessalicam originem profiterentur. At profitebantur, ut e fabula alia cyrenensi demonstrari potest. Sed rursus ab initio ordiendum est.

3

Herodotus (IV 145sqq.) asseverat Cyrenarum origines aliter a Lacedaemoniis, aliter a Theraeis, aliter a Cyrenaeis narrari; ipse quae exponit ad singulos populos quasi ad certos auctores refert; neque est cur illi fidem non tribuamus. In ipsas vero fabulas ita inquirere in animo est, ut de fabulis theraea et cyrenaea primum additamenta quaedam recentissima demamus, tum illas inter se comparemus aliorum quoque scriptorum, in primis Pindari, testimoniis adscitis, tum demum ad fabulam, quam Herodotus primo loco refert, ad laconicam, transgrediamur. At, antequam ordior, unum ad eorum mentem qui legant revocare velim, quod gravissimum esse iam Maltenius (p. 97) monuit, Herodotum testari Batto III. rege Demonacta arcadem Cyrenaeorum populum in tres phylas divisisse, quarum alia e Theraeis et Perioecis constaret, alia e Peloponnesiis et Cretensibus, alia ex insulanis. Idem enim Herodotus narrat a Batto II. rege advenis ex omnibus Graeciae partibus arcessitis Cyrenaeorum priscorum, id est, si Herodoto credimus, colonorum Theraeorum numerum auctum esse. Atque, quominus de hac narratione ambigamus, nomina phylarum impediunt, quae ficta esse omnino non possunt. Advenas vero istos narrationi de Cyrenarum originibus fila nova intexuisse ultro exspectamus; nam maxime cuiusque intererat fabula concinnata demonstrare civitatem cyrenensem non sibi nuper demum a Theraeis donatam, sed sibi ius quoddam in Libyam usque ab antiquissima aetate fuisse. Haec vero suspicio illarum fabularum compositione diligenter examinata stabilietur atque confirmabitur.

Cyrenaei narrabant (cap. 154sqq.) Phronimae, Etearchi, regis Oaxi civitatis cretensis, filiae, a noverca insidias atque necem paratam esse, quam viro persuasisse illam impudicitiae crimini obnoxiam esse. Etearchum vero Themisonem, hospitem Theraeum, qui ipsi iurasset se, quidquid a se posceret, facturum, rogavit, ut

filiam in mare mergeret. Illum vero, ne iusiurandum violaret neve tamen piaculum committeret, puellam de funibus suspensam in aquam demisisse atque statim retraxisse. Phronimen vero Polymnesto theraeo concubinae loco fuisse eique puerum genuisse balbum, quem hac de causa, sicut Theraei et Cyrenaei narrarent, Battum dictum esse; Herodotus enim aliud ei nomen impositum esse contendit, asseverat Battum vocabulum libycum esse regemque significare, illum Theraeum igitur non prius ita vocatum esse quam in Libyam venisset. Illum vero, cum adolevisset, Pythium de voce adiisse eique responsum esse:

Βάττ', ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων
ἐς Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα.

Battum vero, dolentem quod Apollo se delusisset, Theram revertisse. Theraeos autem complures annos adversa fortuna usos Delphos misisse, qui oraculum rogarent, quid sibi faciendum esset. Pythiam vero iis suasisse, ut Batto urbem Cyrenen in Libya condituro auxilio essent. Illos vero Battum cum sociis et duabus navibus in Libyam misisse. Quos, cum frustra conati essent Theraeis invitis in patriam redire, in insula non longe a Libyae ora posita, Platea, urbem condidisse. Quod iam sequitur, illos postea in continentem terram transgressos Azirin, tum Cyrenas condidisse, iam ad nos in praesentia nihil attinet.

Prior huius fabulae pars cum posteriore tam non cohaeret, ut illa sublata ne minimum quidem hanc opus sit mutari. Quid enim interest, utrum Battus creticae originis sit an theraeus germanus, siquidem Theraeos ipse civis theraeus in Libyam ducit? Accedit quod in fabula theraea, quam mox percensebimus, Battus easdem fere partes agit, originis vero peregrinae nullum vestigium est. Iam apparet narrationi quae ipsa iam per se constiterit, Batti stemma, Batti matris casus assutos esse; a quibus nisi a Cretensibus illis, qui Batto II. rege in Libyam migrarunt, ut agrorum distributione fruerentur? Atque etiam constat, ad quod exemplum ii Phronimen funibus in aquam demissam statimque rursus sublatam finxerint. In religionibus enim Cretensium deam se in mare praecipitantem repraesentatam esse e fabulis colligitur: Dictynna enim se de promunturio saltu demisit, ut Minoa effugeret; a piscatoribus retibus comprehensa, dea facta est; Theseus se de navi praecipitem dedit, ut se Neptuni progeniem Minoi adprobaret. Si hoc quidem pristinae fabulae

additamentum a Cretensibus excogitatum est, necesse est fabulam ipsam genuinam fuisse vetustiorem [1]).

Eandem fere fabulam Theraeos narrasse testatur Herodotus (cap. 154): affirmat enim illos cum Cyrenaeorum narratione inde a classe cum Batto Cyrenas missa omnino consentire. Discrepantiae vero quas recenset, ad additamenta quaedam recentia, non ad narrationis, ut ita dicamus, pulpam pertinent. Theraei enim (cap. 150sq.) narrasse dicuntur Grinnum Aesaniae filium, Therae, urbis conditoris, nepotem, insulae regem, Delphos adiisse comitantibus cum aliis tum Batto, Polymnesti filio, uno e Minyarum nepotibus [2]); Pythiam vero illum monuisse, ut urbem in Libya conderet. Eum respondisse munus gravius esse quam ut a sene gereretur: iunioribus deus imperaret ut id facerent, Battumque digito demonstrasse. Theraeos vero oraculum primo neglexisse; cum autem septem annos in insula non pluisset, cumque oraculum de remediis consulentibus denuo respondisset ut coloniam in Libyam mitterent, Cretam tandem misisse, qui de Libya sciscitarentur. Istos vero Itani cum Corobio piscatore congressos esse, qui olim ad insulam Plateam apud Libyam ventis raptus esset. Hunc non invitum exploratores non multos Theraeos illuc duxisse. Hos autem denuo domum profectos esse ut plures arcesserent Corobio relicto; quem paullatim victum deficere coepisse. Samios autem, qui ad Aegyptum navigantes illuc delati essent, ei opitu-

[1]) Quandoquidem Batti origo cretensis a colonis cretensibus excogitata est, nego Maltenium (p. 100sq.) recte contendisse, qui narrationem cyrenensem invenissent, studuisse de Battiadarum gloria detrahere, eos enim eponymum illius gentis balbum atque filium spurium finxisse. At, ut mittamus spurios in fabulis certe atque in carminibus homericis non tantum despicatui fuisse quantum recentiore aetate, siquidem mater Batti fabulae addita est, plane nescimus, num in narratione pristina Battus spurius fuerit, etiam utrum parentes commemorati sint an ille quilibet de populo fuerit. De linguae vitio mox disputabo. Equidem timeo ne Maltenius saepius in rebus offenderit, quae illa aetate nullius omnino offensionis fuerint.

[2]) In Herodoti libris scriptum exstat *Βάττος ὁ Πολυμνήστου, ἐὼν γένος Εὐθυμίδης τῶν Μινυέων*. Paulmier pro *Εὐθυμίδης Εὐφημίδης* scripsit, quae correctio quamquam est verisimilis, minime necessaria est; neque enim demonstratum est Herodotum plane eandem fabulae versionem secutum esse quam Pindarum in IV. Pythico, neque omnium Argonautarum nomina novimus, ut constet nullum *Εὔθυμον* esse appellatum. Qui vero, ut Maltenius p. 107, affirmat Herodotum Minyas Euphemi progeniem dixisse, is coniectura nititur.

latos esse; hos postea usque Tartessum venisse. Theraeos vero plurimos colonos Plateam misisse Batto duce.

Quo Corobius relictus, cibus deficiens, exploratores Theram reversi, Samii Plateam delati pertineant, statim elucet; neque enim illis inventis fabula augetur aut exornatur, verum certum aliquid quaeritur, ut Cyrenaei qui se Thera ortos profiteantur, Samiis, qui phylae *τῶν νησιωτῶν* adscripti sint, beneficio obligentur. Consequitur, ut Insulani hanc fabulae partem invenerint. Atque, quantopere Insulani maiores suos Cyrenarum historiae fabulari insinuare studuerint, etiam e titulo rhodio nuper publici iuris facto colligitur. In anathematum enim descriptione quae olim in templo Minervae exstiterint (II. enim a. Chr. n. saeculo exeunte vel I. ineunte pleraque iam perierant) donum Lindiorum recensetur, qui cum Batto Cyrenas condiderint: B 109[1]) *Λινδίων τοὶ μετὰ τῶν Πάγκιος παίδων Κυράναν οἰκίξαντες σὺν Βάττωι*; tum verba nonnulla, quae nondum extricari potuerunt; tum in versu sequenti *Ἡρακλεῦς*; tum paucis verbis intermissis, quae pariter legi non possint, *ἐφ' ὧν* (id est in donis) *ἐπεγέγραπτο· Λινδίων τοὶ μετὰ τῶν Πάγκιος παίδων Κυράναν κτίσ[αν]τες σὺν [Β]ά[ττωι] Ἀθαναίαι καὶ Ἡρακλεῖ [δ]εκάταν*; deinde rursus vocibus intermissis, quae nunc peius servata sunt, quam ut legi possint, *ὥς φατι Ξεναγόρας [ἐ]ν [τῶι Α τᾶς] χρονικᾶς συντάξιος*. Xenagoras quando fuerit, non omnino certum est; sed idoneis de causis is qui titulum edidit, Christianus Blinkenberg eum IV. a. Chr. n. saeculo fuisse contendit. E titulo igitur colligimus etiam post Herodoti aetatem (siquidem ex Herodoti silentio quicquam concludere licet) Insulanos fabulis fictis studuisse sibi iura in Cyrenas vindicare; quin etiam Rhodios contendisse se in Batti sociorum numero fuisse.

Neque Corobii historia cum his quae praecedunt, cohaeret. Nam quare Theraei Cretam demum miserint, qui de Libya sciscitarentur, pariter quid urbe in insula Platea condita Corobio factum sit, frustra requiritur. Corobium qui in hanc fabulam introduxit, Cretensibus Libyae incolis gratificatus est, atque pariter se in narratione componenda ad religionum cretensium exemplum applicavit atque qui finxit Batti matrem a Themisone in mare mersam esse, ut iuri iurando satisfieret. Causam enim certissi-

[1]) = Oversigt over det danske Selbskabs Forhandlinger 1912, 329.

mam cur piscator Itanensis, non Cretensis quispiam ad Theraeos in Libyam ducendos delectus sit, invenit Knapp (Philolog. XLVIII 1889, 498). Nummos enim Itanenses iam aetate antiquissima effigiem dei piscatoris gessisse, cuius corpus piscis cauda praeditum esset: deorum vero marinorum cum sapientiam tum proclivem in mortales voluntatem esse; ita ergo prorsus Corobium Theraeos ad Libyam duxisse, ut Proteus Menelao (Δ 472 sqq.) reditum monstrasset. Accedit quod Itanus ex omnibus Cretae urbibus Cyrenis una proxima est. Restat ut quaeramus, quare Theraei sive quisquis illam fabulam composuit Cretum auxilium Theraeis impertitum quam Battum Cretensi matre ortum narrare maluerit. Causa illis vecibus, opinor, continetur: *Βάττος ἐὼν γένος ... τῶν Μινυέων*; qui scilicet haec invenit, Battum Argonautarum nepotem credidit, quod teneas velim.

Neque partes illius narrationis, quae Corobio et navi Samia demptis reliquae sunt, optime inter se cohaerent. Quod statim elucebit, si fabulam de oraculo „cyrenensem“ comparaveris. Illic enim ipse Battus oraculum adiit atque de se rogat: ipse coloniam ducit; hic contra Grinnus se Delphos confert atque responsum impetrat, munus tamen sibi ab Apolline impositum detrectat atque in Battum transfert. Quae igitur in hac fabulae forma regis sunt partes? Eius enim, ut ita dicam, officium in eo collocatum est, quod nepos Therae, urbis eponymi, est, nullum aliud est. Atqui huic fabulae quovis modo inculcatus est. Qua demum de causa, nisi ut Cyrenaeorum origines quodammodo ad hunc Theram referrentur? Sed de Thera nihil fere narratur, nisi quod idem Herodotus in narratione spartana, quam theraeae praeposuit, illum dicit virum ipsum Lacedaemonium agmen e Lacedaemoniis et Minyis mixtum ad insulam Callistam, quae postea ab eo Thera appellata est, duxisse; nihil igitur aliud est nisi eponymus, nisi stirps stemmatis causa ficta. Quid ergo voluerit qui Grinnum invenerit, iam elucet: narrationem scilicet Theraeorum et Cyrenaeorum communem de Batto theraeo Cyrenarum archegeta, quae iam ipsa per se constiterat, cum narratione spartana de Thera Therae insulae eponymo ita coniungere studuit, ut Spartae quoque aliquis certe locus in Cyrenarum originibus tribueretur. Inde consequitur, ut Cyrenaei se iamdiu Thera ortos dixerint, antequam Lacedaemon se quasi Cyrenarum aviam quandam fuisse asseverare coeperit.

Cretenses et Insulanos ex ipsa fabularum compositione elucet fabulis de Cyrenarum originibus se sero immiscuisse, id est postea Cyrenas venisse quam Theraeos. Nunc in ipsam de Batto narrationem inquiramus cyrenensem (nam theraeam noviciam quandam fuisse iam e comparatione apparuit); quae vero non fuisse genuina demonstravimus, iam omittamus. Battus theraeus, cum balbus esset, oraculum delphicum de voce adiit; Pythia illi respondit, ut in Libyam coloniam deduceret. Ille se eludi ratus oraculum neglexit. Cum vero Theraei adversa fortuna usi oraculum, quod sibi remedium portenderet, interrogassent cumque responsum esset, ut Batto auxiliarentur coloniam in Libyam deducturo, hic Libyam invitus missus atque Plateae in insula sedes collocare coactus est. Iam secuntur quae nondum exposui. Coloni Theraei post duos annos, cum iis nondum prospere succederet, rursus Delphum miserunt. Apollo respondit:

αἰ τὺ ἐμεῦ Λιβύην μηλοτρόφον οἴδας ἄμεινον,
μὴ ἐλθὼν ἐλθόντος, ἄγαν ἄγαμαι σοφίην σευ;

illi in terram continentem transgressi sex annos Aziri habitarunt, tum ad Apollinis fontem urbem Cyrenas condiderunt.

Herodotus se uno certe loco ab exemplo suo decessisse ipse confitetur: dicit enim et Theraeos et Cyrenaeos narrare Polymnesti puero balbo nomen *Βάττον* impositum esse, se vero id non credere, quod sibi compertum sit *βάττον* libycum regis vocabulum esse, inde sequi ut Cyrenarum archegeta in Libya demum ita appellatus sit. At id credere non facile animum inducimus[1]): quanta enim levitate cum omnes Graeci tum potissimum Herodotus voces peregrinas in sua lingua, in peregrina suas se invenisse asseveraverit, inter omnes iam constat. Quod regis vocabulum Herodotus, linguae libycae ignarus, audiverit vel potius se audivisse existimaverit, quis iam est qui norit? Illa autem fabula omni acumine et paene sensu caret, nisi Battus re vera *βάττος*, balbus fuit. Ea enim illuc spectat, ut ostendat oraculum Battum rogantem specie elusisse, reapse ei satisfecisse; illum enim, simul atque in Libyam pervenerit, sanatum esse. Iam quaesiverit quispiam: „Unde id nosti, quod Herodotus non rettulit?“ At referre non licebat, ne credere quidem, quoniam existimavit nomen

[1]) Non recte de hoc nomine iudicat Maltenius p. 101 adn. ad pag. 100 —. Quam linguas barbaras Herodotus non intellexerit, ostendit Ed. Meyer, Forschungen zur alten Geschichte I 192 sqq.

regi Battum in Libya demum impositum esse: neque tamen fieri potuit, ut Cyrenaei concederent se a balbo conditos esse. An credamus Apollinem Battum re vera elusisse? Testimonia vero illius fabulae formae, quam e vestigiis restituimus, etiam nunc supersunt. Pindarus quid significarit cum scriberet (Pyth. V 57) *κεῖνόν γε καὶ βαρύκομποι λέοντες περὶ δείματι φύγον, γλῶσσαν ἐπεί σφιν ἀπένεικεν ὑπερποντίαν· ὁ δ' ἀρχαγέτας ἔδωκ' Ἀπόλλων θῆρας αἰνῷ φόβῳ. ὄφρα μὴ ταμίᾳ Κυράνας ἀτελὴς γένοιτο μαντεύμασιν*, mihi certe dubium non est. Nam exsucum et exsangue esset Battum feris oraculum reddidisse dici, ut Didymus et Aristarchus (apud scholiastam ad hunc locum) interpretati esse videntur. Contra Battus significatur vocem suam quasi celatam trans mare portasse atque in Libya demum sustulisse [1]). Vocabulo vero quod est *ἀποφέρειν* ea de causa Pindarus pro verbo simplici usus est, quod Battus leonibus id quod oraculum nuntiasset, id quod ipse illis quasi deberet, linguam solutam, portasset. At de hoc testimonio ambigas licet, sed Callimachus quoque (h. II v. 76) scripsit integrum Aristotelem, id est Battum, terrae Asbystidi Carneum commisisse [2]). Iustinus (XIII 7, 1. 6) [3]) narrat Batti patri Apollinem propter dedecus adulescentis filii nondum loquentis deprecanti oraculum respondisse ut Battus Africam peteret et urbem Cyrenas conderet: usum ibi linguae accepturum: atque illum, simulatque in Africam venisset et montem Cyran occupasset, linguae nodis solutis loqui primum coepisse. Atque, quam late illa fabula patuerit, Horati carmine arcessito facile demonstratur. Nam mihi quidem verisimile videtur in Batti miraculum illum iocatum esse, cum scriberet se inermem lupum fugasse (carm. I 22, 12) *quale portentum neque militaris Daunias latis alit aesculetis nec Iubae tellus generat, leonum arida nutrix.* Voces enim extremae digito, ut ita dicam, intento monstrant illum lupos apulos, leones vero libycos significare; cur autem a lupis ad leones deflexerit, nisi quod ad nobile

[1]) Ita fere Boeckhius interpretatus esse videtur.

[2]) Cfr. quae de vocabulo quod est *οὖλος* ad illum locum disseruimus.

[3]) Cuius sane in reliquis non multus est usus, cum multa confundat atque permisceat, quae ceteri auctores probe distinxerint. Velut Battum Aristaeum a nomine filii Cyrenae appellavit, non Aristotelem; Grinnum patrem Batti dixit; montem, non fontem Cyran appellavit; Nomium atque Agreum, pariter deum autochthonum Autuchum Aristaei fratres fuisse finxit. At Batti historia in universum sollertius composita est, quam ut dubitare liceat, quin eam de probis auctoribus exscripserit.

quoddam exemplum per ludum et iocum delegare voluerit? In carmine igitur sive in historia, quam Herodotus mutavit, scriptum erat Battum, simulatque in Libyam venisset, *φωνὴν ῥῆξαι*.

Herodoti fabulam cyrenensem iam pergamus ex aliis auctoribus supplere, siquidem iam constat Pindarum atque Callimachum eodem fonte usos esse. Uterque testatur (cfr. Pyth. V 87, h. II 76) Battum Aristotelem quoque esse dictum. In nomine duplici nescio cur tam multi offenderint; nam et in vita cottidiana fieri solebat ut nomen a patre infanti impositum cognomini a vitio corporis derivato loco cederet[1]), et consentaneum est illum qui hanc fabulam composuit, vitae cottidianae exemplum secutum esse. — Callimachus narrat (II 65 sq.) Apollinem corvi figura Battum in Libyam duxisse: quae fabulae forma cum ipsa antiqua videatur, facile etiam demonstrari potest illam aliis fabulis cyrenaeis ipsis satis antiquis exemplo fuisse[2]). Illa historia (nam historia existimari voluit) a qua et Herodotus et Pindarus et Callimachus hauserunt, utrum versibus an oratione numeris soluta concepta sit, diiudicare non ausim. Nam oracula ad decernendum omnino nullam ansam praebent, quoniam eorum partes et in carminibus epicis recentioribus, ut cum alii tum Marx demonstravit[3]), et in historiis pedestribus antiquissimis, ut ex ipso Herodoto concludimus, magnae et satis graves fuerunt. Pariter non decerno, utrum Herodotus ipse illo libro usus sit an potius, quae narrat, a Cyrenaeis audiverit; huc tamen sententia ea de causa inclinat, quod ita facilius explicatur eundem esse apud eum oraculorum locum et in historia Cyrenarum antiquissima et quasi fabulari quem in rebus quae „spatio historico“ fuerunt enarrandis (cfr. IV 159. 161. 163). An haec quoque carmine illo sive historia mythologa continebantur? At Cyrenaei iisdem adminiculis narrationes de casibus suis recentissimis fulciebant quibus antiquas fabulas.

4

Quid nobis effecisse videamur, paucis iam comprehendamus: narrationem de Batto theraeo Apollinis instinctu colonos in Libyam ducente optime per se stare posse; cui postea originem Batti

[1]) Cfr. Bechtel, Einstämmige Personennamen aus Spitznamen, Göttinger Abh. NF V 3 ff.

[2]) Cfr. quae supra (p. 40 sq.) disputavimus.

[3]) N. Jahrb. f. d. kl. Alt. XIII 1904, 673 sqq.

cretensem, Insulanos colonis theraeis opitulantes additos esse. Inde iam consequitur, ut Cyrenaei se antea Theraeos quam Insulanos vel Cretenses crediderint: vel quo idem accuratius et magis perspicue significemus, ut illa fabula excogitata sit antequam coloni a Creta atque ex aliis insulis vel omnino Cyrenas migrarent vel aliquem certe locum illic nanciscerentur. Batto autem II. rege legimus apud Herodotum (IV 159) Graecos Pythia iubente Cyrenas undique commigrasse; idem testatur (IV 161) Batto demum III. rege Cyrenaeos a Demonacte Arcade in tres tribus divisos esse, quarum primam e Theraeis et Perioecis constitisse, secundam e Peloponnesiis et Cretensibus, tertiam ex Insulanis. Inde colligimus fabulam cyrenensem, quam additamentis quasi quadam veste detractis in pristinum restituere studuimus, fortasse ante Battum II., sine dubio ante III., compositam esse: additamenta vero non ante Battum II. Reliquom est, ut accuratius quaeramus, qua ratione fabula, quam ipse Herodotus spartanam vocat, cum theraea et cyrenensi cohaereat; tum utrum ea cum originibus Cyrenarum thessalicis, e quibus fabulam de Cyrena heroina repetivimus (p. 98sqq), concinat necne.

Herodotus narrationis de Cyrenis initio (IV 145sqq.) narrat Argonautarum progeniem Lemno a Pelasgis pulsam ad Laconiam appulisse atque in Taygetum escendisse. Lacedaemonios, cum comperissent eos Minyas esse Argonautis prognatos, libenter in civitatem eos recepisse. Quos mox mortis damnatos, quod rerum potiri conati essent, ab uxoribus suis, Lacaenis illis quidem, fraude structa servatos esse: tum rursus in Taygetum confugisse. Illis temporibus casu factum esse, ut Theras Cadmeus origine, Eurysthenis et Proclis, Lacedaemoniorum regum, avunculus, tutela nepotum absoluta coloniam condere constitueret. Eum a Lacedaemoniis non invitis impetrasse ut sibi liceret Minyas sibi operis socios adiungere. Eos illo duce civitatem graecam Theram condidisse in insula quae usque ad illam aetatem Calliste vocata atque a Membliaris Phoenicis progenie habitata esset. Neque tamen omnes Minyas eum secutos esse, sed etiam plerosque in Pareoratarum et Cauconum agrum invasisse ibique complures urbes condidisse. Sequitur, ut supra (p. 108) paucis monuimus, Therae herois progeniem Grinnum, Therae insulae regem, Pythiae imperium, ut in Libya civitatem conderet, in Battum comitem transtulisse.

Multa sunt, quae in hac historia offendant; velut singulare est fabulae de Thera a Minyis Lacedaemonio duce condita adici plerosque Minyas de recto itinere ad eam regionem deflexisse, quae postea Triphylia dicta est; quae cum instituto scriptoris pugnant, qui demonstrare in animo habeat Theram praecipuam quandam sive Lacedaemoniorum sive Minyarum coloniam fuisse. Atque iure suspicatus esse videtur Benedictus Niese[1]) Triphyliae colonis cum colonis Therae nihil primitus commune interfuisse neque re vera neque in fabulis. Item Phoenices insulam Theram tenuisse iam non credimus, postquam Iulius Beloch[2]) demonstravit, quam nuper illi mare nostrum navigare coeperint. Sed aliud est fabulam inscite excogitatam esse, aliud eandem esse recentem. Hanc vero demonstrari potest et Theraeorum colonia in Libyam deducta et colonis Cyrenarum Thessalis recentiorem esse.

Nisi enim illa aetate constitisset Battum theraeum Cyrenas condidisse, is qui illam narrationem composuit, sine dubio fecisset non illum sed ipsum Grinnum sive quempiam alium regem spartana origine ortum in Libyam migrasse, non tam inscite finxisset Grinnum auspicia divina in se collata in Battum comitem transtulisse. At, dixerit quispiam, cur non licebat ipsum Battum fingere e Thera ortum? Huius rei explicatio inde a duabus causis repeti potest: aut enim fabula spartana recentior est quam additamenta illa sive cretica sive insulana, aetate illa quidem demum composita, cum Battum iam constaret matre cretensi natum; aut vetustior. Si vetustior est, nulla alia de causa Batto originem spartanam tribuere non licuit, nisi quod constaret nullos alios e Theraeis colonis Lacedaemonios fuisse nisi Theram, at Minyas, Batto vero in stemmate regio nullus iam locus superesset.

Utcumque id est, iam luce clarius apparet fabulam spartanam

[1]) Herm. XLII 458sqq. Idem utrum recte necne contenderit nulla alia fortasse de causa potius Minyas quam Lacedaemonios ad Elidem delatos esse quam quod Minyarum in fabula theraea iam certus locus esset, nostra non interest diiudicare.

[2]) Cuius disputationes primo singillatim in ephemeridibus publicatae nunc collectae sunt Griech. Gesch. I 2^2, 65sqq. 245sqq. Phoenices theraeos recte iam iudicarat Studniczka p. 52sqq. De iisdem subtiliora quam veriora disputavit Malten p. 183sqq. Ad Phoenicum partes explicandas plus quam istius ratiocinationes Herodoti et Thucydidis testimonia valent, e quibus elucet Graecos vulgo illa aetate credidisse ante se Phoenices toto mari dominatos esse.

fabula sive theraea sive cyrenensi de Batto recentiorem esse. Pariter autem post fabulam de Thera a Minyis condita composita est. Nemo enim, qui quidem Lacedaemoniorum gloriae studeret, ementitus esset non Lacedaemonios sed Minyas Thera lacedaemonio duce insulam Theram condidisse: nemo finxisset Minyas breviter tantum Spartae commoratos esse: nemo tanta mole Minyas de Taygeto Spartam, tum rursus Sparta in Taygetum transtulisset, cum tamen illi de Taygeto Theram navigare pariter paucis annis ante potuissent quam paucis annis post, pariter uxoribus lemniis nondum repudiatis[1]) quam lacaenis in earum locum substitutis: nemo, inquam, haec omnia ita composuisset, nisi illa aetate vulgo pro certo habuissent Minyas, non Lacedaemonios Theram condidisse; nemo enim studet sibi difficultates et inconcinnitates quam maximas parare, nisi debet. Minyas fabularum scriptores cum dicerent, eos Argonautas voluisse paullo infra demonstraturi, item, quomodo Argonautae cum Thessalia cohaereant, paullo infra explicaturi sumus; quoniam tamen haec quaestio multum et spati et operae requirit, interdum in fabula spartana commorabimur.

Iam multi in eo offenderunt, quod ad Taygetum montem Minyae appulerint, e Taygeto denuo Theram versus solverint; cur enim mons qui extremo tantum promonturio ad mare pertineat, potius quam portus hoc loco commemoratur? Explicationem idoneam nuper invenit sodalis meus Ludovicus Pareti (apud Constantium, p. 38): fuisse in Taygeto locum, qui *Θῆραι* diceretur, Pausaniae enim voces, quamvis sint lacunosae, hoc tamen sine dubio testari. Dixerat *ἄκρα τοῦ Ταϋγέτου Ταλετὸν ἐπὲρ Βρυσεῶν ἀνέχειν*, tum alium montem *Εὐόραν* commemorat: tum pergit (III 20, 5): *Ταλετοῦ δὲ τὸ μεταξὺ καὶ Εὐόρα Θήρας ὀνομάζοντες Λητῴ φασιν ἀπὸ τῶν ἄκρων τοῦ Ταϋγέτου.* Sequitur *Δήμητρος ἐπίκλησιν Ἐλευσινίας ἐστὶν ἱερόν.* Lacunam, quod ad sensum attinet recte, ita fere ⟨*θεᾶσθαι τὴν θυγατέρα ἐνταῦθα θηρεύουσαν*⟩ supplevit Bekker.

Fabulam de Thera Lacedaemonio Therae conditore recentiorem fuisse quam fabulam de Batto theraeo Cyrenarum conditore de-

[1]) Cfr. Herod. IV 145. — Neque vero Maaßio (GGA 1890, 378) concedere possum Minyarum partes, qui se adversus Lacedaemonios tam ingratos praebuerint, miseras quasdam esse; nam tales fabulae ad bonos mores non spectant. Idem neglexit Maltenius (p. 102), cum miraretur Battum balbum et rusticum effictum esse.

monstravimus: luce clarius est tum Cyrenaeos se Thera ortos dicere coepisse, cum Theraei re vera Cyrenas migrassent. Qui ita concludet, eum negare oportebit Theraeos inde ab origine Lacedaemoniorum colonos fuisse. Idem negat qui illam insulam suo sumptu excavandam curavit, Fridericus Hiller de Gärtringen [1]). Nam Theraeorum phylae *Ὑλλέες*, *Δυμᾶνες*, *Πάμφυλοι* [2]) appellabantur, ut in plerisque civitatibus doricis; Lacedaemonii contra, quantum scimus, non in tribus sed in vicos id est *κώμας* [3]) distributi erant. Quid? nonne patet Lacedaemonios ab antiqua rerum publicarum Doriensium disciplina descivisse, Theraeos eandem servasse? Theraei vetustissimi pro *Z* in voce certe *Ζεύς* illo signo usi sunt quod in linguis semiticis *samech* appellatur [4]), item Corinthii, non Lacedaemonii. Theraei deam *Λαμίαν* coluerunt (IG XII 3, 361); eandem Epidaurii (cfr. Herod. V 82), non Lacedaemonii. Theraei Iovem *Στοιχαῖον* venerati sunt (IG XII 3, 375—376), eiusdem religio apud Sicyonios floruit, a quibus phylae *στοῖχοι* appellabantur (cfr. Bekker Anecd. II 790, 30), non, quantum scimus, apud Lacedaemonios. Iam eo inclinamus, ut opinemur Theraeos antea Dores quam Spartanos fuisse, antiquissimos vero colonos Theram non Sparta sed ab Argolide transmigrasse.

Praeterea Spartani si Theras condiderunt, necesse est eos id antiquissima aetate fecisse, nam e vasculis quae in sepulcris theraeis inventa sunt, Iohannes Dragendorff [5]) conclusit Theram iam saeculo IX. exeunte vel VIII. ineunte habitatam esse, neque indicia

---

[1]) Thera I p. 142 sqq. Idem iam anno 1890 ante excavationes negarat Studniczka p. 51.

[2]) IG XII 3, 377. 378. Nomen Pamphylorum quamquam non servatur, consentaneum tamen est illud ut in ceteris civitatibus ita Therae cum duobus reliquis consociatum fuisse

[3]) Vicos non *κώμας* sed *ὠβάς* appellatos, tribus gentilicias Spartae servatas esse nuper demonstrare studuit Ludovicus Pareti, Rendiconti dei Lincei 1910, 455 sqq. Utcumque id est, illae phylae si omnino fuerunt, nullius fere ponderis prae vicis fuerunt, id quod ipsum satis novicium videtur.

[4]) Cfr. Kretschmer Athen. Mitt. XXI 1896, 432; XXII 1897, 342: illud vocabulum ita scribitur IG XII 3, 350—53. 1313. 1318. Etiam litterarum formae et significationes ostendunt Theraeos neque a Lacedaemoniis neque ab ulla alia civitate graeca sed a Semitis scribendi artem didicisse: cfr. Hiller, Thera I 155.

[5]) Thera II 232; antiquissima enim vasa alia vasibus generis quod a Dipylo appellatur recentioribus similia sunt, alia protocorinthia. Dragendorffii iudicium multis aliis sepulcris effossis confirmavit Ernestus Pfuhl, Ath. Mitt. XXVIII 1903, 248. 285/86.

supersunt, quibus freti statuamus colonos novos aliquando in illam insulam invasisse, incolas pristinos pepulisse. At Spartae Angli, qui et Orthiae et Chalcioeci templa effoderunt, nullum vasculum invenerunt, quod anno 900 vetustius videretur; atque ipsi quae antiquissima iudicarunt, ea tantum de causa ad illam aetatem rettulerunt, quod vasculorum geometricorum, quorum recentissima anno circiter 750 ficta creduntur, tantum tamque altum acervum invenerunt, ut consentaneum videretur eum non uno et altero anno sed annorum circiter 150 spatio congestum esse [1]). Num verisimile est civitatem nuper conditam cives trans mare misisse, qui coloniam in insula conderent?

At multo verisimilius est Theram multo post a Sparta quasi in filiae locum adoptatam esse. Nam aetas fuit, cum illa civitas ceteris civitatibus graecis potentia et dignitate longe praestaret, cumque nulla esset, cuius non interesset originem suam a Lacedaemoniis repetere. Saeculum dico VI. Quid, si demonstrabimus omnes civitates, quae se Sparta ortas praedicarunt, a Lacedaemoniis potius adoptatas quam genitas? A Cnidiis ordimur, quos Herodotus (I 174) *Λακεδαιμονίων ἀποίκους* dixit. Idem Callimachus cecinit (h. VI 24) fuisse cum Pelasgi nondum Chersonesum Cnidiam sed Dotium habitarent, id est credidit pristinos Cnidios Thessalos fuisse. Strabo (XIV 653) narrat Dorum qui Megaram condidissent partem Rhodum et Cnidum et Con et Halicarnassum migrasse. Singulare certe est Thessalos quasi incolas pristinos ut Therae ita Cnidi commemorari; neque tamen Strabo errare videtur, cum non Spartanos sed eosdem Dores Cnidum condidisse testatur, qui Rhodum et Con primi habitarunt. Nomen enim certi magistratus *δαμιοργοί* Cnido cum Rhodo et Nisyro, non cum Sparta commune fuit, Aesculapii religio non cum Sparta sed cum Epidauro [2]). Rhodii se non Lacedaemonios sed Argivos dixerunt, Coi non Lacedaemonios sed Epidaurios, id est pariter Argivos. Quid, si opinemur Thessalos primo, tum Dores ex Argolide Cnidum transmigrasse indeque barbaros pristinos incolas, Cares si dis placet, pepulisse? Id vero utcumque est, hoc unum pro

[1]) Cfr. Droop, Ann. of the British School at Athens XIII 135; Dawkins XVI 29 sqq. Urbi mycenaeae in Menelaeo, quae igne absumpta est (ibd. XVI 4 sqq.), constat nihil omnino cum Sparta civitate graeca intercessisse.

[2]) Idem iam animadverterunt Bechtel, Griech. Dial.-Inschr. III p. 221; Busolt, Griech. Gesch. III 2, 361[1].

certo habeo, si Lacedaemonii incolae urbis Graecae Cnidi antiquissimi fuissent, nunquam eum qui fabulas illius civitatis composuit vel in ordinem redegit, illis Thessalos aut Argivos quasi aemulos additurum fuisse. Quando enim inde a saeculo VII., quo Lacedaemonii excellere coeperunt, Thessali aut Argivi tanta potentia floruerunt, ut Cnidiis prodesset eorum colonos credi? Id vero quod postea adiungi non potuit, necesse est inde ab initio fuisse.

Paullo diversa est Meliorum condicio. Qui se V. certe saeculo Spartae colonos professi sunt, ut Herodotus (VIII 48) et Thucydides (V 84) testantur; de se contra aut nullam omnino fabulam narrarunt, aut talem e qua demonstraretur colonos pristinos non fuisse Lacedaemonios[1]). Testis huius praecipuus nobis est Conon (Photi bybl. 137, 16 Bekk.), qui haec fere narrat: Philonomus Spartiata Spartae Doribus proditae mercedem Amyclas accepit, in hanc urbem colonos Imbrios et Lemnios deduxit. Eius nepotes, cum iam a Doribus dissiderent, paucis Spartiatis adiunctis, Pollide et Delpho ducibus, migrare constituerunt. Pars Melum appulerunt *καὶ τὸ τῶν Μηλιέων γένος ἐνθένδε* (*ἐνθάδε* traditur: corr. Heynius) *οἰκειοῦται Σπαρτιάταις*. Pars ad Cretam navigarunt, ubi Gortynam una cum perioecis Cretensibus habitarunt. — Qui haec scripsit, credidit non Lacedaemonios Melum primos habitasse, sed catervam ex Imbriis et Lemniis cum paucis Lacedaemoniis mixtam Meli conubium et commercium cum pristinis incolis pepigisse. Quomodo enim illud *οἰκειοῦται Σπαρτιάταις* dici potuit, nisi populus ante horum adventum ibi iam habitasse credebatur? Quomodo vero in urbe pura puta spartana haec credi coepisse potuerunt? — Atque sunt quae in suspicionem inducant hanc fabulam ut omnino male compositam ita etiam recentem esse. Velut quid sibi vult quod Philonomus Spartiata dicitur? Intellegamus e Lacedaemoniis incolis qui ante Dorum adventum fuerunt? At paucis versibus infra ipsi Lacedaemonii *Σπαρτιᾶται* vocantur; qui enim Melii Spartae conciliari potuerunt, nisi colonorum pars Lacedaemonia fuisset? Sed haec in tardum testis Cononis ingenium reicere possumus; gravius est quod Gortyna, antiquissima civitas illius insulae, in qua dorici cultus sedes et domicilium fuit, post Spartam demum condita esse dicitur; vel gravius quod Meli coloni Imbrii et Lemnii dicuntur, ut Therae Lemnii, quodque

[1]) De hac fabula non omnino recte disputavit Studniczka p. 47 sqq.

utrique primo cum Lacedaemoniis concordes fuisse, tum dissensisse eaque de causa migrasse dicuntur; quod in utraque fabula non omnes coloni sed pars insulam habitasse narrantur; quod in utraque pauci Lacedaemonii comitati sunt. Similitudo augetur, si non iam hanc fabulae formam quam Conon narrat, sed illam quam nobis Plutarchus repraesentat, sequimur. Qui (de mulier. virt. 247 a)[1]) narrat Tyrrhenorum filios e mulieribus Atheniensibus quas Braurone rapuissent, susceptos, cum ab Atheniensibus expulsi ad Taenarum appulissent cumque Lacedaemoniis in bello adversus Hilotas auxiliati essent, ab his in civitatem ita receptos esse, ut magistratibus non fungerentur. Cum postea novis rebus studuisse viderentur, in carcerem proiectos esse; illarum tamen uxores eos eodem dolo adhibito servasse quo Herodotus Lemniorum uxores, qui postea Theram condiderunt, usas esse narravit. Tum eos ad Taygetum reversos ad libertatem Hilotas vocasse. Lacedaemonios ita cum iis pacem pepigisse, ut Pollide et Crataeda lacedaemoniis ducibus migrarent. Partem Meli mansisse; partem post multos casus urbem Lyctum in Creta condidisse. — Si haec fabulae forma prae illa, quam priorem exposuimus, genuina esset, de totius narrationis fide actum esset. Nam quin ei qui haec ementitus est, Herodoti locus oculis obversatus sit, dubitare omnino non licet, quamquam fuerunt qui dubitarent. Sed recenti haec fabula aetate ab eo excogitata esse videtur, qui Atheniensibus faveret; isti enim coloni Melii quadam ex parte Athenienses sunt. Ex hoc consilio explicatur, quod Pelasgi Tyrrheni pro Minyis substituuntur: constabat enim ex Herodoto (VI 138) Pelasgos lemnios puellas athenienses Braurone rapuisse, de Minyis contra nihil simile tradebatur: Pelasgos vero Tyrrhenos fuisse inde a Sophocle in litteris Graecis saepissime legebatur[2]). Quando demum haec fabula inventa sit, difficile est ad decernendum: fortasse primis[3]) belli peloponnesiaci annis, cum Athenienses civitatum doricarum gratiam sibi conciliare studebant: fortasse foederis maritimi tertii temporibus, cum iidem denuo civitates, quae foedus reciperent, captabant. — Sed etiam illa fabulae forma quam priore loco perstrinximus quamque vetustiorem esse contendimus, dubitationi obnoxia est,

[1]) Non diversa refert quaest. gr. 296 b.

[2]) Cfr. Beloch, Griech. Gesch. I² 2, 50.

[3]) Ante annum scilicet 417, quo Athenienses illius insulae cives partim ferro ceciderunt partim in servitutem redegerunt.

nonne ex Herodoti narratione quasi manaverit. Quomodo vero tales fabulae in civitate pura puta laconica credi potuerint, frustra requiretur.

Plura fortasse quam e fabulis, ex Anglorum excavationibus lucramur, in vico Melio factis, qui nunc vocatur Phylacopi. Animadverterunt enim, cum aedificia urbis quam „Phylacopi II“ vocant, domuum regiarum cretensium persimiles sint, domum contra regiam, quae ad urbem III pertinet, propius ad similitudinem illarum domuum accedere, quae aetate mycenaea in terra continenti, ut Tirynthe, aedificatae sunt. Eodem pertinet quod recentiora vascula non iam creticorum sed argivorum similes sunt; eodem quod neque anuli sigillo impressi neque tabulae litteris conscriptae in illa domo inventae sunt. Inde recte Duncanus Mackenzie[1]) conclusisse videtur, illa aetate populum novum eundemque satis rudem e Graecia, fortasse ex Argolide, in illam insulam migrasse. Nuper vero vascula quae ad eiusdem urbis tempora recentissima pertinent, inventa sunt, sub iis vascula eius generis quod „ialysium“ dicitur[2]). At inter vascula Ialysi reperta inventus est „scarabaeus“ regis Aegyptii Amenophis III, qui regnavit annis a. Chr. n. 1411—1375[3]). Domus regia fortasse paullo vetustior est, neque tamen tanto ut eam ad eandem aetatem referre non liceat, quae decurrit ab anno circiter 1580 usque ad annum 1200. Num credamus saeculo XV. vel XIV. a. Chr. n. Lacedaemonios colonias in insulas misisse? Verisimile contra est Dores illa aetate, non Lacedaemonios, Argolide profectos et insulas et Cretam occupasse, pristinos incolas in suam dicionem potestatemque redegisse. Utrum, postquam illae insulae iamdiu doricae erant, miserunt Lacedaemonii qui eas subigerent? An potius illi sibi eas conciliare studuerunt, illae civitates libenter se Sparta, urbe tum nobilissima, ortas professae sunt?

Reliquom est Tarentum. Cuius archegetam Phalanthum ex historia in fabulas suo quidem iure relegavit Studniczka (p. 175 sqq.)[4]). Sed fieri potest ut archegeta ipse fabula sit, a poëta tamen vel ab hominibus superstitiosis comitibus adiunctus sit, qui in terris

[1]) Excavations at Phylacopi 263 sqq.

[2]) Cfr. Ann. of the Brit. School at Athens XVII 119.

[3]) Cfr. temporum tabula ad calcem libelli Fimmenii, Zeit u. Dauer der kretisch-mykenischen Kultur.

[4]) Cfr. Ilberg, Roscheri Lexic. III 2237.

fuissent. At antiquissimus qui servatur testis, Antiochus (ap. Strab. VI 278 sq.), narrat Tarentum a Partheniis conditum esse, id est a filiis quos bello Messenio primo viris absentibus Lacedaemoniorum uxores non solum peperissent, verum iam concepissent [1]). Quae de civitate, de cuius origine laconica constaret, quomodo narrari potuerunt? Antiochus etiam narrat ante Parthenios Tarenti barbaros et Cretenses habitasse, qui cum Minoe in Siciliam venissent. Cretenses in Italiam migrasse quamquam non credimus, ex hac tamen fabula colligimus Tarentinos olim se non Lacedaemonios vel non genuinos Lacedaemonios credidisse. At dixerit quispiam Tarentum recentius esse quam ut credi possit ab aliis Doribus conditum esse: Eusebium enim illud anno 706 conditum credidisse, Antiochum belli Messenii primi aetate. At quis spondet haec tempora tradita esse, non arbitrio ficta? Qui etiam tempora singularum rerum, quae saeculo VIII. gestae sunt, posteris tradi potuerunt? At Tarentini dialecto laconica usi sunt, ab ephoris regebantur, civitatem in quinque phylas diviserant phylarum laconicarum cognomines [2]). Sane; sed consentaneum est Dores ea aetate, qua Lacedaemonii omnibus potentia praestabant, illorum exemplum secutos esse: lingua vero non Tarentini laconica, sed et Lacedaemonii et Tarentini dorica usi sunt.

Effecisse nobis videmur Lacedaemonios vetustissimos nullos colonos trans mare misisse: nonne consentaneum est illos qui diutissime cum Messeniis de Peloponnesi parte meridionali pugnarent, subole sua in propriis bellis usos esse, non illam peregre misisse? At obiecerit quispiam: „Vascula tamen cyrenaica paene innumera Spartae ab Anglis inventa sunt; qui ergo negari potest

---

[1]) Ephorus contra (ap. Strab. VI 279) ita fere narrat: Lacedaemonii Messeniis bellum intulerunt regem suum Teleclum ulturi atque iurarunt se domum non reversuros, priusquam illam urbem expugnassent. Decimo vero anno Lacaenas ad viros misisse, ut liberos e se generarent: si minus, patriam perituram esse. Illi adulescentes miserunt qui nondum iure iurando tenebantur: isti promiscue omnes cum omnibus virginibus concumberent. Qui a virginibus nati eaque de causa *Παρθένιοι* dicti, cum se non satis honorari sentirent, cum Hilotis adversus Spartanos coniuraverunt; Lacedaemonii illis tamen persuaserunt, ut ad coloniam condendam abirent. Hi Achaeis cum barbaris pugnantibus opitulati Tarentum condiderunt. — Ephorus quoque confitetur colonos agri tarentini pristinos non fuisse Lacedaemonios. Quod Parthenios virginum filios esse narravit, e nomine id conclusisse videtur. Reliqui testes omnes ab alterutro pendent.

[2]) Cfr. Beloch, Griech. Gesch. I² 1, 239.

Cyrenas Spartae coloniam fuisse?" Qui ita concluserit, memoriae tradita sibi sequi videbitur, non sequetur. Nam, Herodoto certe si credimus, non Lacedaemonii Cyrenas condiderunt sed Theraei Lacedaemoniorum coloni, Therae vero vasculum cyrenaicum inventum est adhuc nullum. Sed haec omittamus; quaeramus contra quo iure e vasculis quae cyrenaica dicuntur Spartae inventis concludatur Cyrenas Lacedaemoniorum coloniam fuisse. Paucis rem exponere iam oportet.

Iam annis 1880—81 Puchsteinius (Archäol. Zeit. XXXVIII 185 sqq., XXXIX 215 sqq.) demonstravit vel certe sibi demonstrasse visus est genus quoddam vasculorum, quae omnia inter se cohaerere iam perspexerat Georgius Löschke (in appendice programmatis universitatis dorpatensis a. 1879 de basi quadam spartana), Cyrenis et fictum et pictum esse; nam nullus alius locus uni certe ex illis vasis aptior excogitari posse videtur, in quo Arcesilaus, Cyrenarum scilicet rex, effictus est, dum silphio, frutici illi quidem omnium fruticum cyrenaicorum uni pretiosissimo, ponderando ipse adsidet. Simia, panthera, avis quam „Marabu" dicunt, appictae ostendunt, quam penitus is qui vasculum depinxit, septentrionalem Africae partem norit; vestium cum formae tum in primis ornamenta Aegyptium aliquid redolere videntur. — Puchsteinii opinionem argumentis fulsit novis Studniczka (Kyrene 1 sqq.), quorum tamen unum idque facile praecipuum iam in nihilum recidisse videtur. Nam quod in poculo „cyrenaico" Naucrati in Aegypto invento [1]) silphii ramum agnovisse sibi visus est, id saltem incertius est quam ut in ea opinione demonstratio nitatur. — Sed talibus vasculis sequentibus annis iam multifariam inventis fuerunt qui de origine totius generis cyrenensi dubitarent [2]), cum praesertim Angli talium vasorum maximum numerum Spartae effodissent. Quin etiam Droopius sibi visus est e picturae genere demonstrare posse haec vascula Spartae et ficta et picta esse: sub vasculis enim „cyrenaicis" vascula inventa esse, quae quamquam huic generi adscribi non possint, illi tamen proxima

[1]) Expressum est Studniczkae operis tabula 10.

[2]) Testimonia de huius quaestionis historia diligentissime indicavit Maltenius p. 169, adn. 2. Qui tamen de Böhlauii opinione falsa vel certe non satis accurata rettulit. Ille enim (Aus ionischen und italischen Nekropolen 131 f.) non vascula cyrenaica ad Ioniam ipsa rettulit, verum affirmavit artifices cyrenaeos ab arte ionica pendere.

sint, prima scilicet specimina eiusdem artis quam nunc cyrenaicam vocamus. Item vasculorum spartanorum recentissima e vasculis cyrenaicis quasi enata esse contendit, ita ut iam concludendum sit artem cyrenaicam quasi quendam cursus artis Spartanae gradum fuisse[1]).

At restant scrupuli: nam conexus omnium horum vasculorum inter se non talis est, ut de eo dubitari non liceat[2]). Tum, quomodo factum sit ut in vasculo spartano Arcesilaus, Cyrenaeorum rex eiusque caterva, item animalia aegyptia tam accurate effingerentur, Droopius non explicavit: Arcesilaum enim una cum silphii mercatoribus Gythium ad portum laconicum aliquando navigasse, quis est qui credat? Audacioris vero est vascula ab illa civitate abiudicare, in qua illud unum vasculum, quod originis aliqua indicia ferat, factum esse videatur. Tum vasculorum „cyrenensium" peculiare est, non solum quod luteo vel roseo colore depicta sunt, qui rursus figuris variatur, et quod animalium imagines seorsum a ceteris figuris quasi in anulis quibusdam, quibus totum vas cingitur, disponuntur, verum etiam quod loti et mali granati imaginibus decorantur; lotus vero et malum granatum, quod punicum dicebant, potius ad Africam quam ad Peloponnesum quadrant. Quid vero impedit quominus credamus haec vascula potius Cyrenis Spartam quam Sparta Cyrenas per mercatores portata esse? Talia in multis aliis locis, Naucrati, Daphnis, Corinthi, Argis, Olympiae, Aeginae, in Boeotia, Atalantae in vico locrio, Sami, etiam in Italia, etiam Gordii in oppido phrygio, etiam in Russia meridionali[3]) inventa sunt. Argos et Olympia cum Sparta fortasse melius conveniunt, quamquam consentaneum est Cyrenaeos, quorum urbs ad mare iaceret mari a reliquo terrarum orbe separata, usque ab initio commerciis maritimis deditos esse; Daphnaeos et Naucratenses Spartae, non Cyrenis fictilia coë-

[1]) Cfr. Droop, Ann. of the Brit. School at Ath. XIII 135; XIV 30 sqq.; JHS XXX 1910, 1 sqq.

[2]) Dubitavit M. Heinemann, Landschaftliche Elemente in der älteren griechischen Kunst 38, 2.

[3]) Omnia fere vascula indicavit Carolus Dugas, Revue Archéologique, seriei 4 X 1907, 48 sqq.; idem fragmenta a Waldsteinio in templo Iunonis Argivo inventa neglexerat (Waldstein, The Argive Heraeum II 173); cylicem Corinthiam effingendam curavit Droop, JHS XXVIII 1908, 175. Vascula cyrenaica in Russia meridionali inventa esse affirmavit M. Heinemann (ibd.); equidem quae significarit, nescio, quamquam diu quaesivi.

misse non est facile ad credendum. Quin etiam, quamvis concedamus illum conexum, quem dubium esse diximus, certissimum esse, quid impedit quominus opinemur inde ab antiquissima aetate vascula Cyrenis, quemadmodum in multas alias urbes, quas nuper memoravimus, ita quoque Spartam exportata esse? Nonne in sepulcris tuscis vasa attica innumera ab antiquissimis usque ad recentissima tempora cottidie inveniuntur? An inde concludendum est, inde concluditur vasa attica falso attica vocari, eadem etrusca esse[1])?

At haec iam mittamus, iam concedamus haec vascula omnia Spartae inventa ab artificibus lacedaemoniis et ficta et picta esse (quod sane praefracte non nego; nam fieri potuit ut artifices lacedaemonii Cyrenas migrarent ibique poculum illud, quod unum certa originis cyrenensis indicia prae se fert, fingerent pingerent); quid tamen inde redundet ad noscendum, quae necessitudines Lacedaemoniis cum Cyrenaeis intercesserint, nondum perspicio. Illud unum poculum Cyrenaeum est; rex qui ibi effictus est, Arcesilaus II. esse videtur, qui medio fere saeculo VI. regnavit; id quod compluribus ex argumentis concluditur; vas enim simile Daphnis inventum peculiari de causa anno 565 necessario superius est; inter fragmenta vasculorum spartanorum eiusdem generis tituli inventi sunt litteris VII. saeculi exeuntis vel VI. ineuntis conscripti[2]). Si igitur artifices lacedaemonii Cyrenas migraverunt vel Cyrenenses artem Lacedaemoniorum imitati sunt, id sexto demum ineunte saeculo fecerunt. Cyrenas vero sexto demum saeculo a Sparta quasi adoptatas esse ipsi contendimus, quandoquidem contendimus hac fere aetate fabulam de Thera condita cum fabula de Batto consociatam esse[3]). E commerciis contra de populorum cognationibus quidvis concludere temerarium est. Si quis vero contendat poculum Arcesilai ipsum Spartae fictum, quanam ratione is iam demonstrare poterit Cyrenas Sparta ortas esse nisi fabulis diligentissime ponderatis? Nam Cyrenis nulla adhuc

---

[1]) Hoc argumentum protulit Studniczka, Arch. Jahrb. XXVI 1911, 158, adn. 2.

[2]) Cfr. Dawkins, Ann. XVI 28/29.

[3]) Neque tamen urbi quam Dorieus lacedaemonius ad flumen Cinypem condidit (cfr. Herod. V 42), multum in hac fabula tribuo; quamquam enim verisimile sane est Cyrenaeos illi auxiliatos esse, cum praesertim Theraei illi ducum loco fuissent, non facile eo inclinamus, ut existimemus exeunte iam VI. saeculo vel V. ineunte tales etiam tum fabulas excogitatas esse quam Herodotus antiquissimas crederet. Accedit quod Cinyps satis longe a Cyrenis fluit.

vascula inventa sunt neque Spartanorum similia neque ullius generis. E fabulis vero elucet originem cum Theraeorum tum Cyrenaeorum spartanam additamentum esse recentissimum fabularum multo vetustiorum.

Iam oportet nos ad Thessalos convertamus. At quaerat quispiam qua fiducia fretus coniciam tam multos populos sedes in eadem Libyae ora constituisse vel certe constituere conatos esse, siquidem Cyrenae anno demum 631, ut Eusebius in Chronicis tradit, conditae sunt. At Eusebius Cyrenas anno 758 vel fortasse 762 et anno 1333 vel fortasse 1331 a. Chr. n. pariter conditas narrat; quae fides Eusebio adversus Eusebium iam est? atque qua de causa plerique rerum scriptores annum 631 potius quam 1333 receperunt, nisi quod recentior aetas potior videretur? At Theophrastus (h. pl. VI 3, 3) trecentis fere annis ante Simonidem archontem, id est ante annum 311—10 conditas dicit; a. 598/97 Solinus; Pausanias narrat Chionem Spartanum, qui annis fere 668—656 a. Chr. Olympiae vicisset, Battum Cyrenas comitatum esse [1]). Inde unum certe concluditur, nihil de aetate Cyrenarum conditarum memoriae traditum fuisse. Qui etiam tradi potuit septimo a. Chr. n. saeculo, cum nulli libri annales scriberentur?

5

Qui primus ementitus est Lacedaemonios Theram condidisse, ea aetate scripsit, qua constabat Minyas Therae antiquissimos colonos fuisse; quod nisi constitisset, ille nunquam Minyis tantum honoris concessisset. Qui Minyae re vera fuerint, etiam num fuerint [2]), ad has, quas instituimus de Therae et Cyrenarum fabulis quaestiones, nihil prorsus attinet; nam Herodotus, quotiescumque Minyas dixit, Thessalos voluit; illum, qui fabulam de Theraeorum origine spartana composuit, eosdem significasse inde colligitur, quod Pindarus, ut mox disputaturi sumus, pariter Theram a gente thessala conditam novit.

[1]) Haec optime disceptarunt Malten p. 190 sqq.; Beloch, Griech. Gesch. I 2, 236 sqq., qui tamen nescio quo iam iure, cum nihil de aetate Cyrenarum conditarum traditum demonstrarit, easdem rursus (p. 219) VII. demum saeculo exeunte conditas affirmet.

[2]) Cfr. Beloch, Griech. Gesch. I², 63; qui tamen neglexit recentiore aetate poëtas, fabularum scriptores, historicos pragmaticos, cum Boeotos antiquissimos vellent, Cadmeones dixisse, cum Thessalos Minyas.

Quaestio iam restat multo gravior, utrum illi qui Theram a Thessalis conditam dixerunt, id traditum acceperint, an ad Theram id quod in Cyrenas quadrabat, illa aetate transtulerint, cum Theraei Cyrenas colonos miserunt. Hanc quaestionem ut diiudicemus, oportet non iam in uno Herodoto contineamur, sed etiam Pindaro auscultemus.

Qui in carmine Pythico IV. sacerdotem delphicam Batto praesagientem facit eum post sedecim generationes Medeae vaticinium impleturum esse. Quae haec fere praedixit: „Ex hoc caespite, quem undique undae pulsant, multarum urbium radicem Libya recipiet. Augurium implebitur, quod, quasi donum quoddam hospitale, Euphemus in paludis Tritonidis faucibus a deo recepit, qui humana forma indutus illi glebam in manus tradidit. Iste enim deus solitarius Argonautis, qui duodecim iam dies navem dorsis per Syrtes portarant occurrit, seque dixit Eurypylum Neptuni filium iisque, cum ne manerent, recusassent, sese enim festinare, glebam dextra arreptam obtulit, quam Euphemus accepit. Illa vero gleba per servorum neglegentiam in mare delapsa est; itaque in hac insula (Theram dicit) Libyae semen ante tempus effunditur; quodsi Euphemus, domum reversus, illud ad Taenaron profudisset, illius gens una cum Danais quarta generatione continentem occupasset: illa enim aetate Spartae, Argolidis, Mycenarum incolae Peloponnesum relinquent. Nunc vero, quae gens ab eo atque feminis peregrinis originem capiet, ad hanc insulam veniet, ex illa Battus prognatus Phoebo monente vaticinium implebit.“ Argonautarum navigationis, Iasonis certaminis enarratio iam sequitur, tum (v. 252 sqq.) commemoratur Argonautas Lemni cum feminis virorum interfectricibus concubuisse: inde Battiadarum gloriam exstitisse, inde enim Euphemi progeniem in maius provectam esse, hanc vero cum Lacedaemoniis consociatam Theram condidisse, inde Cyrenas.

Hesiodus (cfr. fr. 64 editionis Rzachii maioris), cum fingeret Argonautas navem ab Oceano ad mare nostrum per Libyam humeris portasse, nescimus an de Graecis illius regionis colonis nondum cogitarit; etiam cum is qui nobis illud fragmentum servavit, Apollonii scholiasta ad IV 259. Hesiodo et Pindaro et Antimacho eandem narrationem tribuat, dubitari potest, nonne ipse eorum testimonia contaminaverit. Neque, quid huic Hesiodo placuerit, graecamne ille urbem Cyrenas norit, elici inde potest, quod Eoea

de Cyrena composita Hesiodum colonos Cyrenarum Thessalos vel certe Graecos respexisse demonstratur[1]). Nam quis spondebit de Argonautis Libyam peragrantibus narrationem in Eoeis fuisse? quis Eoeas ab uno poëta compositas esse? At, utcumque id est, non primus Pindarus cecinit deum libycum fide Argonautis data illam terram eorum progeniei pollicitum esse. Nam illum duas traditiones inter se permiscuisse recte enucleavit Maltenius (p. 114). Qui enim humanam formam induisse dicitur (v. 28 sqq. *τοντάκι δ' οἰοπόλος δαίμων ἐπῆλθεν, φαιδίμαν ἀνδρὸς αἰδοίου πρόσοψιν θηκάμενος*), ille belluina vel certe semihumana plerumque utitur; id est Triton in lacus Tritonidis faucibus Argonautis apparuit. Eundem quandoquidem Eurypylum Neptuni filium se dixisse Pindarus narrat, duos diversos deos permiscet: Tritonem qui Syrti praesidet, et Eurypylum, qui fuit deus proprie Cyrenaeus, siquidem Callimachus illum non iam immortalem sed mortalem Cyrenis regnasse ea aetate narravit (h. II 91), qua Cyrene leonem, qui illius armenta vastaret, necaret. Qui fabulam ita composuit, duas fabulas inter se conciliare studuit, quarum utriusque satis gravis esset auctoritas. Altera certe ex aliorum scriptorum testimoniis restitui potest, qua de Pindari narratione quasi dempta altera pariter nullo iam negotio recuperabitur.

Herodotus (IV 179 sqq.) narrat Iasonem, simulatque Argo confecta esset, a Pelio Delphos versus circum Peloponnesum navigare voluisse: sed procella ad Libyam ipsum portatum, in Tritonidis lacus vada navem proiectam esse: unde cum Argonautae ipsi se expedire non possent, Tritonem apparuisse Iasonemque iussisse sibi tripodem tradere, pollicitum se illos hac mercede itinere indicato incolumes domum transmissurum. Eum autem tripodem in suo templo constituisse, Argonautis vaticinatum tum centum urbes graecas circum lacum Tritonidem futuras, cum illorum progenies tripodem reportasset: Libyas vero tripodem abscondisse. Fere similia narrat Lycophron (886 sqq.), Medeam cratera itineris monstrati mercedem Tritoni dedisse: deum vero vaticinatum esse Graecos tum Libya potituros esse, cum Libyes illum craterem reddidissent: Asbystas vero, vaticinium timentes, illum celasse; nisi quod loca fortasse paullo incertiora sunt quam par est: primo enim Cinyps, *Κινύφειος ῥόος* (v. 885), commemoratur, qui per illam regio-

[1]) Cfr. supra, p. 98 sqq.

nem influit quae nunc Tripolitania vocatur; tum Asbystae, qui (Herod. IV 170) *ὑπὲρ Κυρήνης οἰκέουσιν*. Haec in praesentia levia. — Apollonius vero omnia permiscet: narrat enim (IV 529 sqq.) Pythium Iasoni duos tripodes donasse, qui ubi terrarum constituerentur, illam regionem ab hostibus semper immunem fore. Alterum tripodem (nam quid altero factum sit, ad hanc quidem quaestionem nihil attinet) Tritoni donatum esse; nam, cum Argonautae (IV 1537 sqq.) exitum e palude Tritonide diu frustra quaesivissent, Orphea illis persuasisse, ut tripode de navi demisso deos indigetas placarent. Illos vero paruisse tripode in ora exposito. Tum Tritonem apparuisse glebamque porrexisse seque paratum exhibuisse iter indicare; tum exitu monstrato se tripode accepto denuo in paludem immersisse. — Quanta inscitia haec consuta sint, apparebit Herodoto et Lycophrone collato. Nam qui narrant tripodem a Libyis celatum esse, illi confitentur Libyam vel certe illam Libyae partem Graecis neque promissam neque concessam esse. Apollonius tamen utramque fabulam ita conglutinavit ut utrique sensum quasi demeret. At Pindari copias quoquo modo in suum usum convertere voluit; quin etiam illum tam incaute tamque inscite imitatus est ut non iam unum eundemque Eurypylum et Tritonem dici callide dissimularet, sed faceret Tritonem se Eurypylum dixisse, quo vix quicquam minus elegans excogitari potest.

Apparet Herodotum alterius fabulae esse testem unum genuinum, Lycophronem vero ab eo proximum. Qui istam fabulam conposuit, Graecus poëta ipse credidit nunquam Graecis successurum ut Libya potirentur: tripodem vero Libyae regni pignus invenire *ἐν ἀδυνάτοις* fuisse intellegendum est. Qui haec invenit, novit Graecos frustra saepius Libyam vel certe paludis Tritoniae litora in suam dicionem redigere conatos esse. At qui primus narravit glebam a deo Libyae indigete Medeae concessam esse, speravit brevi Cyrenaeos illam regionem totam in suam potestatem esse redacturos[1]). — Primas in fabula Herodotea partes Triton sustinet. Inde consequitur, ut Eurypylus, non Triton glebam Argonautis tradidisse primo narratus sit.

Reliquom est, ut quaeramus, utra ex his fabulis vetustior sit. Quae quaestio minime facilis est ad solvendum. Si enim con-

[1]) Hucusque cum Maltenio (p. 126 sqq.) in plerisque consentio, qui primus haec recte enucleavit.

staret utramque fabulam ad totam Libyam pertinere, inde iam consequeretur, qui vaticinarentur illam terram nunquam Graecorum fore, prius fuisse quam illos qui affirmarent brevi illam regionem in Cyrenarum colonorum dicionem potestatemque redactum iri. Nam illi Graecorum irritos conatus ut Libya potiantur, fortasse etiam clades respiciunt, hi contra Cyrenarum prosperitates secundasque res. At, si quis fabulam herodoteam cum illa fabula, quam Pindarus cum herodotea contaminavit, accurate comparabit, iam elucebit neque locos omnino congruere neque usquam vero totam Libyam intellegendam esse. Herodotus enim (IV 179) testatur flumen Tritonem per Machlyum fines fluere, qui ad occidentem Lotophagorum habitant, satis longe scilicet a Cyrenis in illa regione quae nunc Tripolitania dicitur, quam Graeci, quantum scimus, nunquam habitarunt. Pindarus contra voluit Eurypylum glebam cyrenensem Euphemo tradidisse: ineptum enim esset illum Cyrenaeis Tripolitaniam pollicitum esse, quam sub dicionem redigere ne conati quidem, quantum scimus, sunt. Cum fabula pindarica concinit quod Diodorus (IV 56, 6) narrat tripodem ab Euesperitis, quae civitas in parte Cyrenaicae occidentali non longe ab ipsa urbe Cyrenis erat, *μέχρι τῶν νεωτέρων χρόνων* servatum esse: qui enim haec ementitus est, voluit hanc Cyrenaicae partem sero demum ab Euesperitis habitatam esse. Lycophron vero loca temere miscet; v. enim 855 dicit Cinyphem, qui fluvius per Tripolitaniam influit, Ausigda rigare, quae fuit civitas cyrenaica. Apollonius vero nodum potius discindere quam extricare studet, ementitur enim Argonautas duodecim diesque noctesque navem a Syrti usque ad paludem Tritoniam portasse. Qui haec scripsit, paludem Tritoniam non in Tripolitania ad Syrtim sed in Cyrenaica non longe ab Euesperidibus collocavit.

Ex his omnibus testimoniis diligenter inter se comparatis haec fere colligas: Eurypyli sedes in Cyrenaica, Tritonis in Tripolitania fuit. Qui de Eurypylo fabulam composuit, voluit deum indigetem graecis Cyrenarum prosperitatem promisisse; qui de Tritone narravit, Graecos monuit ne nimium copiarum in Tripolitania subigenda impenderent: nunquam enim illam provinciam eorum fore. Qui Eurypylo cum Tritone confuso paludem Tritoniam a Tripolitania in Cyrenaicam transtulerunt, lacus salsos non longe ab Euesperidibus respexerunt[1]).

[1]) Cfr. Ferrabinus p. 519.

Iam patet hac ratione ac via decerni non posse, utra fabula vetustior sit: altera enim ad Cyrenaicam, altera ad Tripolitaniam spectat: altera a colonis Cyrenensibus victoribus, altera a Graecis nescio adhuc quibus, sive repulsis sive certe de Tripolitania subigenda desperantibus composita est. Quo iam iure inter se comparantur? Unum tantum spoponderim, fabulam de Tritone cum Doriei spartani colonia[1]) ad Cinypem deducta non cohaerere. Nam quis facile credat duorum annorum spatio fabulam enatam esse, quae brevi tantum auctoritatis nancisceretur ut Pindaro opus esset eam 50 circiter annis post cum fabula genuina cyrenensi contaminare[2])?

Atqui mihi certe constat aetatem fuisse, cum Eurypylus Graecis Libyae imperium non concederet sed denegaret. Eurypylus primitus nullus alius fuit nisi Orcus. *Εὐρυδίκην* Orphei uxorem ipsam inferorum reginam fuisse omnes iam confitentur; daemonem voracissimum *Εὐρύνομον*, qui mortuorum carnes edat, nihil nisi ossa relinquat, a Polygnoto Delphis in Atheniensium lescha pictum esse auctor est Pausanias X 28, 7. Famulus Nestoris, Pylius scilicet, *Εὐρυμέδων* ab Homero vocatur Θ 114, *Λ* 620: Nestor ipse Nelei filius fuit, id est illius qui nemini parcit; Neleus *Βασίλην* uxorem duxit, reginam scilicet mortuorum; Hercules cum Orco Pyli pugnavit (*ἐν Πύλῳ, ἐν νεκύεσσι E* 397), id est in ipsa porta inferarum sedium[3]). Incertiora mitto: velut quod Phaeacum regum stirps ab Eurymedonte originem cepit (*η* 58), inde fortasse concludere licet mortuorum populi progenitorem (nam, quin Phaeaces primo mortui fuerint, nemo iam est qui dubitet) ipsum Orcum dici: atque nescio an eodem spectet quod Nausicaae ancilla *Εὐρυμέδουσα* appellatur *η* 8, quamquam dubitationem facit, quod ipsa *Ἀπειραίη* erat. Sed haec quae commemoravi[4]) satis sunt, opinor, ad demonstrandum Orcum a Graecis *εὐρύν* existimatum esse. — *Πύλον* unas praeter omnes inferorum

[1]) De qua pluribus disputavimus p. 123, adn. 3.

[2]) Hucusque nisi omnino, at in plurimis cum Maltenio (p. 126 sqq.) et Ferrabino (p. 518 sqq.) consentio; in iis quaestionibus, quae iam secuntur, toto caelo disto.

[3]) Cfr. Beloch, Gr. Gesch. I 2², 103.

[4]) Minos e Paria nympha filios suscepit Eurymedonta Nephaliona Chrysen Philolaon (Apollod. bybl. III 7). Minos, quicumque is initio fuit, hoc loco mortuorum iudex est; Nephalioni enim a *νηφαλίοις*, id est libationibus mortuorum in honorem factis, nomen inditum est.

portas appellatas esse modo non dico demonstravi sed in mentem eorum qui legerent revocare studui. Orci domum Homerus *Ψ* 74 *λ* 571 *εὐρυπυλὲς Ἄιδος δῶ* vocavit. Iam dubitari non potest quo Eurypyli nomen spectet. Accedit quod Eurypylum heroem mysium, Telephi filium, Pergami in Aesculapii templo nominare non licebat, quamquam ibi hymni a Telephi patris nomine initium capiebant: nam quam causam Pausanias (III 26, 10) profert, illum Machaona interfecisse, illud *αἴτιον* commenticium esse manifestum est; immo in sacris dei salutaris deum orcinum commemorare mali ominis erat. Eurypyli Euaemonis filii sepulcrum Patris in ora Graeciae occidentali monstrabatur (Paus. VII 19, 1); per eandem urbem amnis fluit *Μείλιχος* (Paus. VII 19, 9): dis *Μειλίχοις* Myoniae in oppido Locrorum Ozolarum noctu tantum sacrificabatur: Iuppiter *Μειλίχιος* cum *Ἑκάτῃ*, id est cum Hecata, Larisae consociabatur, ut titulus testatur BCH XIII 1889, 392. 9. In proclivi est Patris, ut Pyli in Taenaro alibi, Orci portas collocatas esse.

Sit quamvis unum et alterum argumentum per se infirmum, at omnibus in unum fascem collectis iam id quod volumus elucebit, Eurypylum olim eundem fuisse atque Orcum[1]). Qui vero Orcum Libyae deum esse finxit, ille Libyam mortuorum terram credidit, neque igitur illam sub Graecorum dicionem redactum iri speravit neque finxit ipsum Orcum illam Euphemo pollicitum esse[2]). Iam inde consequitur, ut fabulae eurypyleae forma vetustissima fabulae de Tritone simillima fuerit. Hinc confirmatur hanc satis antiquam esse; nam simulatque Cyrenae conditae essent, necesse est fabulam pristinam paene in contrariam mutatam esse: Eurypylum ab Euphemo sive Argonautis non iam tripodem recepisse sed glebam illis concessisse. Fabula igitur de Tritone aut Cyrenis vetustior fuit aut tum composita, cum Cyrenaei primis cladibus a Libybus receptis, de Graecorum fortuna in Africa desperarunt. Sane, num fabula de Tritone iam inde ab

[1]) Idem concluserant Ed. Schwartz, quaest. herod. (progr. univ. Rostochiensis a. 1890) 11 sqq ; E. Maaß GGA 1890, 346; quorum argumenta repetivi, auxi, novis fulsi. Sed iam in fabula de Eurypylo libyca restituenda ab iis discedo.

[2]) Ferrabinus (p. 518) contendit Eurypylum hac tantum de causa in hanc fabulam introductum esse, quod caverna Gioh, quae non longe a lacubus euesperiticis distaret, Orci porta habita esset. Id quod non sufficere videtur.

initio ad Cinypem et Tripolitaniam spectarit, nullo modo constat: nam pariter fieri potuit ut a Cyrenaica illuc transferretur.

Fabulae de Eurypylo antiquissimae illam quam proposuimus restitutionem et rectam et firmam esse similibus fabulis indicatis iam comprobabitur. Nam alii heroes Thessali narrantur in Libya interfecti esse. Ut Lycophron v. 897 sqq. testatur Guneum, Prothoum, Eurypylum Troia redeuntes ad Libyae scopulos navem fregisse misereque periisse. Lycophron Cyrenaicae oram vult, siquidem rupes *Ταυχείρων πέλας*, quae est Cyrenaicae civitas, istis perniciem tulisse dicit (v. 877). Eodem redit quod, postquam Asbystas donum, craterem scilicet, *ἐν χθονὸς νειροῖς μυχοῖς* (v. 896) abscondisse narravit, addit *ἐν ᾗ Κυφαίων δύσμορον στρατηλάτην* (Guneum dicit) *ναύταις συνεκβράσουσι Βορραῖαι πνοαί*, pariter reliquos. — Neque adversus hanc conclusionem valet, quod semel Cinypem fluvium falso in Cyrenaica collocat; quem locum iam satis superque disceptavimus. Factum tamen esse potest ut tres naufragi postea in Tripolitaniam transferrentur, ubi iam Tritoni sedes constitutae essent. — Neque tamen tantum auctoritatis Tzetzae testimonio tribuerim, ut affirmem hoc prorsus constare, cum ille ad Lycophronis v. 902 adnotaverit *Ἀπολλόδωρος δὲ καὶ οἱ λοιποὶ οὕτω φασί· Γουνεὺς εἰς Λιβύην λιπὼν τὰς ἑαυτοῦ ναῦς ἐλθὼν ἐπὶ Κίνυπα ποταμὸν κατοικεῖ*. Nam, ut omittamus Tzetzem paene contaminationem ipsum illis vocibus *οἱ λοιποί* additis fateri, ut neglegamus epitomam Apollodori sabbaiticam, pariter scholium ad Lycophronis v. 899 Libyam tantum, non Cinypem commemorare, unde concludendum est nondum constare, quid in bybliotheca scriptum fuerit, cum praesertim Lycophronis versus qui antecedunt Cinypis inserendi quasi ansam scholiastae praebuerint — ut haec omnia praeteream, manifestum est Apollodorum personatum, siquidem ille recte e Tzetza restitutus est, recentiorem nobis fabulam repraesentare quam Lycophronem. Hic enim narravit Guneum in Libya periisse, Apollodorus eundem illic urbem condidisse: consentaneum vero est caedem iam tum fictam esse, cum Cyrenaeis nondum successisset ut Libyas e maris ora in montes pellerent: contra, simulatque illi in summam potentiam provecti principatum in Libya adepti essent, clades in contrarium conversas esse [1]).

[1]) Haec omnia adversus Maltenium p. 129 sq. disputavi.

6

Ad interrogationem illam nondum respondimus, cuius gratia has disputationes (cfr. p. 125) instituimus, utrum qui poëtae Theram a Thessalis conditam dixerunt, hanc fabulam traditam acceperint, an id quod in Cyrenas quadraret, illa aetate ad Theram transtulerint, cum Theraei Cyrenas colonos misissent; neque nobis continget ut filum inveniamus, antequam cognorimus quae gentes deum Eurypylum veneratae sint, quae Euphemum, Guneum, Prothoum suos heroes nominaverint.

Prothous Magnetas Ilium duxit (Hom. *B* 756): Apollodorus bybl. III 97 eundem Lycaonis filium, Arcadem scilicet, dicit; Guneum Aenianum et Perrhaeborum ducem fuisse Homerus *B* 758 novit, qui circum Dodonam et ad Titaresium habitarent, qui fluvius in Peneum influit: Stephanus, qui nobis doctorum alexandrinorum de urbibus urbiumque nominibus opiniones repraesentat, credidit urbem perrhaebiam Gonnum (s. v. *Γόννος*) ab illo appellatam esse: nos contra concludimus eponymi nomen ab urbis nomine esse derivatum. Laonomen Gunei filiam, Amphitryonis matrem, Pheneatam esse, civitatis arcadicae civem, unus testatur Pausanias (VIII 14, 2): Apollodorus, qui idem stemma exprimit (II 50), de Gunei patria tacet. Scholiasta Pindari ad Pyth. IV 79 narrat Laonomen alteram, Amphitryonis et Alcmenae filiam, Herculis sororem, Euphemo nupsisse: utrum in Thessalia an in Peloponneso, utrum Guneus cum Hercule in Graecia septentrionali coniunctus una in Arcadiam migrarit an Phenei demum foedus cum eo pepigerit, in praesentia dubium est.

Eurypylum multae sibi civitates vindicabant; illum antiquitus Thessalum fuisse indicia sunt quibus comprobetur. Eurypylum [1]), Euaemonis filium, illos Thessalos Troiam duxisse, qui Ormenium et fontem *Ὑπέρειαν* et Asterium et montem Titanum obtinerent, testatur navium catalogus homericus (*B* 734sqq.). Idem poëta Coum Eurypyli urbem appellat (*B* 677). Par est illuc Eurypylum e Thessalia migrasse, siquidem Aesculapii religio pariter e Thessalia in illam insulam translata est [2]). Eurypylus Mysius Telephi Hera-

[1]) Eurypylum deum, qui Argonautis Libyam denegasset, atque Eurypylum ad Libyae scopulos naufragum unum eundemque fuisse manifestum est; idem voluerunt, qui utramque fabulam composuerunt; alter vero dei meminerat, alter unum heroem homericum norat.

[2]) Cfr. Wilamowitz, Isyllos 52. Peleus non Coi, ut Wilamowitzius anno

clidae filius a Neoptolemo Achillis filio, id est ab heroe thessalo, interficitur (λ 519 sqq.): ipse Machaonem Asclepiadem necarat, ut Pausanias III 26, 9 in Iliade parva scriptum esse testatur. Machaonis templum Gereniae in Messeniae oppido monstrabatur, ut idem Pausanias narrat (III 26, 8). Eurypylus in Mysiam pariter Co atque e Thessalia ut transferretur fieri potuit, in Laconiam e Thessalia tantum. Reliqui Eurypyli[1]) umbrae sunt, non corpora, quos iam omitto.

Eurypylum, Prothoum, Guneum multifariam offendimus: in una tamen regione coniunctos, in Thessalia. Inde nostro quidem iure concludere videmur e Thessalia in Libyam, a colonis scilicet thessalis, illos portatos esse; idem fere omnes credidisse videntur, qui in Cyrenarum origines inquisiverunt. Hinc confirmatur, opinor, recte nos fabulas de nympha Cyrena hesiodeas, pindaricas, callimacheas, fabulas de Argonautis et de Batto herodoteas in hanc sententiam interpretatos esse, ut statueremus primo Thessalos, postea Theraeos Libyam habitasse, tum demum Insulanos et Cretenses illuc migrasse, tum colonos, Dores plerosque illos quidem, Lacedaemonem quasi patriam adoptasse[2]). At Maltenius (109 sqq.) asseverat ex iisdem fabulis concludendum esse Aeoles sive Thessalos a Doribus e Peloponneso expulsos in Libyam migrasse.

Quam opinionem si quis receperit, ille iam in multo maiores difficultates incidet quam e quibus evaserit. Nam si illi coloni originis quidem thessalicae a Peloponneso tamen ad Libyam navigarunt, qui fit ut in fabulis de Guneo, de Prothoo, de Eurypylo Peloponnesi ne unum quidem vestigium insit? Cave autem suspiceris hoc Homeri auctoritate effectum esse, qui illorum sedes in Thessalia collocasset; nam Lycophron illos Thessalos utique dixit, Prothoum vero certe in alia Thessaliae parte constituit atque Homerus[3]): Cyrenaeorum ergo fabulas respexit. Prothoum

1885 credebat, sed Icci mortuus est, ut ipse a. 1909 (Herm. XLIV 474 sq.) demonstravit.

[1]) Testimonia diligenter collegit Tümpel, PW VI 1347 sqq.

[2]) Nunc unum oportet concedas, originem Cyrenaeorum thessalicam ex origine thessalica illorum heroum certo effictam esse; Thessalos antiquissimos, non recentiores colonos fuisse iam patet; reliqua, ut e ceteris fabulis demonstravi, ita nullo negotio ex hac quoque fabula mox comprobabo.

[3]) Quamquam Wilamowitzio (Herm. XXX 195, 196) concedendum est Catalogum qui scripsit, eum tam non accurate loqui, ut pateat eum de Perrhaebis et Magnetibus perpauca novisse.

enim Homerus Magnetum regem dixerat, qui ad Peneum et Pelium habitarent: hic (v. 899 sq.) eundem *τόν τ' ἐκ Παλαύθρων ἔκγονον Τερθρηδόνος, Ἀμφρυσίων σκηπτοῦχον Εὐρυαμπίων* appellat, *Πάλαυθρα* vero quae alia urbs esse potest nisi *Σπάλαυθρα*, cuius urbis et tituli et parietinae in Magnesia in lacerto, ut ita loquamur, sinus Pagasaei nuper inventa sunt[1])? De Euryampiis nihil memoriae traditum est, sed Amphrysus non longe ab Halo fluit in Achaia Phthiotide in opposita sinus Pagasaei ripa (Strab. IX 433 p. 610, 23 M; 435, p. 614, 17). Si vero fabulis istis cyrenaeis, quas Lycophron exprimit, tam fideliter Thessaliae condicio repraesentatur, quae erat illa aetate qua Thessali ad Libyam navigarunt, ut adversus Homeri auctoritatem Prothoi populus in utraque ora sinus Pagasaei collocaretur, quo post Catalogum transmigrasset undeque ad Libyam profectus esset (neque enim aliter mihi illa discrepantia explicari posse videtur)[2]), quo iure sumimus originis

[1]) Cfr. IG IX 2, p. 231. 245.

[2]) Lycophronem non ab Homero pendere sed condicionem recentioris aetatis repraesentare primus acutissime observavit Ernestus Maaß p. 342 sqq. Qui tamen cum veris falsa, certis incerta admiscuisset, rursus necesse erat totam quaestionem de integro tractare. Ut non recte negasse videtur Prothoum lycophroneum non solum Phthiotidem sed etiam Magnesiae certam partem rexisse. Cum Lycophron Guneo Prothoo Eurypylo commemoratis vel potius illorum nominibus circumscriptis iam adiciat: „eorum nautarum *οἱ μὲν Αἰγώνειαν ἄθλιοι πάτραν ποθοῦντες, οἱ δ' Ἔχῖνον, οἱ δὲ Τίταρον Ἰρόν τε καὶ Τραχῖνα καὶ Περραιβικὴν Γόννον Φάλαννάν τ' ἠδ' Ὀλοσσόνων γύας καὶ Κασταναίαν* misere peribunt“, inde concludit Maaßius eorundem regna iam ordine inverso respici. Quod dubitationibus obnoxium est. Nam Aegonia utique Eurypylo assignari fortasse poterit: si scholiis enim ad ipsum carmen adscriptis sive a Stephano s. v. exscriptis credimus, in Malide fuit; Ormenium vero, quod Homerus Eurypyli regni caput censuisse videtur (*B* 734) non longe a Pelio ubi postea Demetrias condita est, ad septentrionem igitur Malidis, ab ea sinibus Pagasaeo et Maliaco seiunctum. Sed fieri potuit ut Eurypylus ita ad meridiem versus transferretur ut Prothous. Echinus vel aptius Prothoo tribuetur, quandoquidem Palauthra obtinuit in eadem sinus Pagasaei ora. Sed quo iure Gonnum, Phalannam, Olossona, quae omnes urbes in Perrhaebia sitae erant ad septentrionem fluvii Penei, Castaneam, quae fuit in ipsa septentrionalis Magnesiae partis ora ad septentrionem paludis Boebiae, eidem Gunei regno assignabimus, cui Trachina urbem illam quidem sub ipso Oeta positam? Nam, quod Maaßius ex hoc ipso loco efficit Trachinam alteram fuisse in Thessalia septentrionali positam, nostrae artis leges manifesto transgreditur. Accedit quod Irus, quam idem Guneo assignat, non in Thessalia septentrionali sed in sinus Maliensis ora fuisse videtur. Nam *Ἰρεύς* ex *Ἰρά* Stephanus derivat, addit tamen *Ἰριεὺς τῶν Μαλιέων*, cum unam urbem *Ἰράν* ipse se nosse confiteatur in Messenia. Patet ergo illum suo periculo ethnicum

peloponnesiacae ex iisdem fabulis omnia iam vestigia evanuisse? At nunquam fuerunt. Maltenii igitur opinio hoc nobis nomine non verisimilis videtur, quod non verisimilia ex illa consecuntur. Iam tempus est inquirere, quibus argumentis fretus eam proposuerit.

Contendit enim (p. 114sqq.) Guneum, Prothoum, Eurypylum e Thessalia in Arcadiam, Euphemum e Thessalia ad Taenarum translatos esse, inde demum ut ipsos ita populos qui eos colerent in Libyam migrasse.

At Gunei et Prothoi sedes arcadicas recentiores tantum scriptores et quorum non ita magna sit auctoritas testantur. Neque Pausanias (VIII 14, 2; nam Apollodorus de patria tacet) ipsum Guneum Pheneatam sed Laonomen Amphitryonis matrem, Gunei filiam, Pheneatam dicit. Atque licet suspicari eam a Pheneatis ea tantum de causa e Thessalia in urbem suam translatam esse, ut sibi in Herculem cognationis iura vindicarent, id vero fecisse, quo facilius explicarent quare hic nobilissima illa *βάραθρα* cavasset. Ut eandem aliter rem proferam, verisimile videtur primo barathrorum *αἴτιον* quaeri et narrari coeptum esse unum semideum incredibili robore illa fecisse, Herculem; tum demum Herculis aviam, putativam illam quidem, Pheneum transla-

cum nomine coniunxisse. At urbem simili nomine ad sinum Maliacum fuisse e Callimacho concludimus, qui h. IV 287 narrat Hyperboreorum sacra Dodona *δεύτερον Ἱερὸν ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης* venisse; *ἱρὸν ἄστυ* pariter de *Ἱρά* ac de *Ἶρος* detorqueri potuit. Urbem ad sinum Maliacum in hac enumeratione in Trachinis vicinia ultro exspectamus, quoniam *Αἰγώνεια* iam commemorata est. Sed quid urbi sive phthiotidi sive maliensi cum Thessalia septentrionali intercedit? Etiam id incommodum Maaßii opinioni accedit, quod non intellegitur quare singulae urbes e Prothoi et Eurypyli regnis, e Gunei tam multae nominatae sint. Quare praestat illam prorsus abicere, credere Gonnum Phalannam Olossonam Gunei fuisse, Castaneam Echinum Prothoi Magnetis, de reliquis urbibus iudicium cohibere, nam pariter Eurypyli atque Prothoi esse potuerunt. Prothoum enim Phthiotidis partem possedisse iam comperimus: Eurypylum Typhresti regem dicit Lycophron, quem montem Strabo Dolopiae (p. 433) adsignare videtur (*τῆς Ὄθρυος ὄρους πρὸς ἄρκτου κειμένου τῇ Φθιώτιδι, ὁμούρου δ' τῷ Τυφρηστῷ καὶ τοῖς Δόλοψιν*). Stephanus Trachiniae; uterque rex facile in Malidem transgredi potuit. Quam regionem Lycophron voluerit, cum Eurypylum *δυνάστην τοῦ πετρωθέντος λύκου ἀποινοδόρπου* appellaret, equidem ignoro: nam quod Maaßius, inde quod in scholiis Thetis dicitur lupum saxum fecisse, conclusit Phthiotidem intellegendam esse, Thetis ipsa migrare potuit; quod Tümpel (PW. VI 1348) affirmat Lyci sepulcrum inter Locridem et Phocidem fuisse, nescio quo iure pro certo sumat Antoninum Liberalem Eurytionem cum Eurypylo confudisse.

tam esse. Atque in universum confiteor me non multum stemmatis tribuere, quibus saepissime Maltenius nititur, nam non volgus cognationes memoria retinere sed poëtae docti gentes diversas affinitatibus coniungere solent[1]). Pariter unus Apollodorus (III 97) Prothoum Lycaonis, Arcadum regis, filium dixit idque in stemmate quinquaginta filiorum, quod faciem recentem quandam et fucatam praebet. In eorum enim numero et Thesprotus commemoratur, Thesprotiae eponymus, quae satis longe ab Arcadia distat, et Macednus, qui quid aliud est nisi Macedonum eponymus? Sed Macedonum origines ab Arcadia repeti non potuerunt ante III. a. Chr. n. saeculum, cum *Ἀρκαδικά* vulgari coepta sunt, quibus et Theocritus et Callimachus usi sunt[2]). Eidem saeculo studium tribuendum est omnia Arcadiae vindicandi. — Eurypylum vero in Arcadia aliquando collocatum esse equidem nego, vel saltem testimonia desidero. Nam quod ipse in Mysia Telephi Arcadis filius inde a carmine Odysseae utique recentissimo (λ 519 sqq.) credebatur[3]), inde concludere non licet ipsum Arcadem fuisse. Nam cum constet eum e Thessalia cum Aesculapio Coum transmigrasse, conici potest eum sive Co sive e Thessalia in Mysiam venisse, illic demum a Telepho in filii locum adoptatum esse. Quae opinio eo nomine praestare videtur, quod Eurypylus unus Mysius Telephi filius est, Eurypylus Thessalus Euaemonis: in Thessalia vero antiquitus Eurypylum habitasse nemo est qui neget.

Sed Eurypylum cyrenaeum eo nomine Maltenius ab Arcadia derivavit, quod Acesander rerum scriptor cyrenaeus illum Arcadica origine prognatum credidisset quodque cum Euphemo consociatus esset, quem ad Taenarum habitare iam Pindarus testatus esset. At Acesander quando fuerit[4]), parum constat: quid eius auctoritas valeat, prorsus ignoramus; etiam cum in universum omnibus

[1]) Maltenius p. 134 huic stemmati stemma a scholiasta ad Pind. Pyth. IV 76 relatum quasi addit, qui narrat Laonomen alteram Herculis sororem Euphemo nupsisse: deinde Herculem quasi extrinsecus allatum demit, ut evadat Euphemum Laonomae virum, Gunei generum fuisse. Quis iam spondet Guneum Euphemi affinem in Peloponneso, non in Thessalia factum esse?

[2]) Cfr. Wilamowitz, Textgeschichte der Bukoliker p. 111, adn. 1.

[3]) Cfr. Malten, 117 sqq.; Wilamowitz, Homerische Untersuchungen 152, 2, Berliner Sitzungsberichte 1906, 62.

[4]) Eduardus Schwartz PW I 1162 suspicatus est illum saeculo III. vel etiam II. a. Chr. n. fuisse.

stemmatis tum potissimum stemmati quod ille proposuit (ap. schol. ad Pindari Pyth. IV 57) diffido. Nam quod tam multos tamque diversos deos in unam cognationem redigit, dubitationem facit. Sed ipsum stemma iam inspiciamus:



Quod Triton et Eurypylus fratres dicuntur, eum prodit qui in Pindaro interpretando offenderit; neque enim unum atque eundem fuisse contendit neque prorsus diversos, sed eodem patre, Neptuno, natos. Sed quid Soli cum Eurypylo intercedit? An eodem iure ille Rhodius quo hic Arcas? Immo multo meliore, quandoquidem de Eurypylo arcade non constat, religio Solis rhodia nobilissima est. Sed, si hoc concesseris (atque equidem ut concedas, non timeo), necesse erit credas hoc stemma tum concinnatum esse, cum civibus Cyrenaeis Insulani accesserint, quorum in numero Rhodios fuisse e titulo Rhodio concludimus, quem supra disceptavimus [1]), et de huius stemmatis antiquitate et auctoritate iam actum erit. Celaenonem et Steropem Maltenius idcirco Arcades dixit, quod Maiae sorores essent, quae Mercurium in Cyllenae spelunca peperit. At Sterope certe in hoc stemmate non Atlantis filia, verum Solis est, id quod sane potius contra arcadicam Eurypyli ceterorum originem facit; quid iam de Celaenone affirmare audebimus? Lycaonem Eurypyli et Steropae filium eundem esse atque Lycaonem regem illum nobilissimum arcadem Maltenius credit; eodem iure illum lucis deum interpretaberis, cum fratre Leucippo ad Solis progeniem referes. Tritonem in Arcadia fuisse *Τριτωνίδος κρήνης* (Paus. VIII 26, 6) e nomine demonstrari concedo. At fluvius Triton fuit pariter in Thessalia (schol. Apoll. I 109), Boeotia (Paus. IX 33, 7; Strab. IX 407; Stephan. s. v. *Ἀσβύσται*), Cretae (Diod. V 70, 4; 72, 3) [2]). Atque idcirco minus dubitamus credere Tritonem iam in Thessalia cum Euphemo reliquis coniunctum

[1]) Cfr. p. 107.

[2]) Quam multa inter Arcades et Cretenses controversa fuerint, ipse Callimachi in Iovem hymnus ostendit.

hinc demum in Arcadiam translatum esse, quod fabulam de Minerva ad paludem Tritoniam nata quasi invitam sibi arrogasse Arcades videntur, quandoquidem *ἡ κρήνη Τριτωνίς* illa Alipherensium neque flumen neque lacus aut palus est, verum fons.

Atlantem antiquitus Arcadiae montem fuisse[1]) equidem concedo, sed prorsus alia de causa Eurypyli avum Atlantem dici arbitror. Nam consentaneum est illum qui caelum humeris impositum gerat vel etiam qui columnas habeat, quae caelum et terram distineant (Hom. *α* 53), in extremis terrae oris ad solis occasum collocari. Atque iam Hesiodus (Theog. 518) dixit illum caelum sustinere *πείρασιν ἐν γαίης πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων*; Hesperides vero in Cyrenaica habitare existimarunt qui urbem cyrenaicam *Εὐεσπερίδας* vocaverunt. Nemo dignior erat qui gentis cyrenaeae avus diceretur quam senex ille qui in Cyrenaica caelum humeris gereret. An Arcades tantum Atlantem id facere crediderunt? At Hesiodus Boeotus fuit, non Arcas; Corinthii artifices arcae illius nobilissimae fuerunt, quam Cypselidae Olympiae Iovi dedicarunt, in hac vero Atlas pictus erat non solum caelum portans sed etiam poma tenens; illi inscriptum erat *Ἄτλας οὐρανὸν οὗτος ἔχει, τὰ δὲ μᾶλα μεθήσει*[2]). De stemmatis auctoritate iam actum videtur.

Restat Euphemus. Quem Pindarus Boeotum fuisse (Pyth. IV 44sq.) testatur, cum narret illum ad Cephisum Europa, e Tityi filia, et Neptuno genitum esse, dicit tamen in Taenaro Laconiae promunturio ad Orci portam habitare. Quis ille fuerit, iam e nomine elucet, nullus alius nisi Orcus ipse vel certe deus orcinus. Neque qui populus Orcum ita appellarit, dubitari potest, quandoquidem Lesbi Iovem Euphemum vocatum esse testatur Hesychius s. v. *Εὐφάμιος* et *Εὔφημος*. Una regio est, unde unus deus et in Boeotiam et Lesbum transferri potuerit, Thessalia, id quod Maltenius (p. 123) ipse concedit. Ante Pindarum iam Hesiodus sive quisquis Eoeam de Euphemo scripsit (fr. 152 editionis Rzachii maioris) novit illum Boeotum esse, existimavit tamen non Europae sed Mecionicae filium, non ad Cephisum sed Hyriae natum. Quod

[1]) Cfr. Wilamowitz ad Herculis euripideae v. 294.

[2]) Multo plura monumenta indicabit Wernickius PW II 2129. — Antiquissimo generis cyrenaici vase uti nolui, quod adhuc incertum est, ubi illa vascula picta sint: cfr. p. 121 sqq.

discrimen levissimum videtur[1]); scilicet illi coloni qui de Thessalia in Boeotiam migrarunt, deum sive heroem suum variis heroinis boeoticis arrogaverunt, prout commodum videbatur: Europae enim religionis thessalicae[2]) vestigium nullum exstat, verum si fatemur; at Lebadeae templum Cereris *τὴν ἐπίκλησιν Εὐρώπης* fuisse testis est Pausanias (IX 39, 4), id est veteris deae Europae quae postea cum Cerere in unum coaluit; cum idem (IX 19, 1) tum Antimachus (apud Stephanum s. v. *Τευμησσός*) testatur Iovem cum ea Teumessi concubuisse. Colonos vero thessalos in Boeotiam migrasse vel, per me licet credas, eundem populum olim in Boeotia atque in Thessalia habitasse ex ipsa dialectorum ratione elucet. Qui fabulam de Argonautis composuerunt, Thessaliam et Boeotiam vix distinxerunt.

Euphemi tamen ratio, quamquam antiquitus eum Thessalum fuisse nemo est qui neget, eo nomine alia est quam Eurypyli, Prothoi, Gunei, quod isti in fabulis cyrenensibus in Thessalia habitasse dicuntur, illinc in Libyam venisse, hic unus ad Taenarum habitasse. Hoc argumento Maltenius nititur, ut non illum solum verum etiam reliquos pariter Peloponneso vindicet, id est genti illi quae primum de Thessalia in Peloponnesum migrarit, postea hinc pulsa in Libyam. — Hoc illi concedendum est, Pindarum duas diversas fabulas in unum conflasse: nam qui scripsit: „Si Euphemus illam glebam, Libyae semen, domum ad Taenarum portatam illic apud Orci fauces deposuisset, quartum eius genus a Peloponneso profectum Libyam subiecisset", illum manifestum est audivisse iam quartam Euphemi progeniem Peloponneso profectam Libyam occupasse. Pariter concedendum est Theram fabulae vetustiori invitam inculcatam esse; nam, inde quod gleba custodum incuria de navi delata illi insulae fortuito adnasse narratur, inde elucet hoc quasi additamentum quoddam novum et recens esse,

[1]) Nihili est quod Hyginus fab. 157 Euphemum Celaenonis filium, Ergei nepotem dicit; siquidem enim iste Ergeus idem est atque Erginus Orchomeni rex, consentaneum erat aliquando navis Argus gubernatorem cum Orchomeno coniungi. — In Cypseli arca (Paus. V 17, 9), item in illo quod inde pendet vase corinthio, quod Hauser et elegantissime depingendum curavit et scitissime iudicavit (Furtwängler-Reichhold-Hauser, Griech. Vasenmalerei III, tab. 121. 122, p. 1sqq.), Euphemus utrum Cyrenensis an Thessalus victoriam bigarum in ludis ad Peliae tumulum reportans repraesentetur, omnino non constat.

[2]) Europam cum Iove *Εὐρυόπᾳ* ullo modo cohaerere recte negavit Wolfgangus Aly Glottae V 63.

Theraei enim de se talia sponte non narrassent. Hoc confiteri eo minus dubitamus, quod et in fabula de nympha Cyrena Theraei ne nominantur quidem et in fabulam de Batto in locum Thessalorum interpolati sunt, ut demonstrasse nobis videmur. — Sed nondum constat, utrum haec fabula peloponnesiaca de Euphemo peloponnesio genuina sit an ipsa vetustioris in locum substituta.

Nam eo minus Maltenio credimus illa res Cyrenensium antiquissimas repraesentari, quod, si gens thessalica e Peloponneso, non e Thessalia in Libyam migravit, cur demum unus Euphemus in fabulis habitasse in Peloponneso dicitur, non item reliqui? Contra si opinamur (nam in opinatione res adhuc necessario posita est) primo heroem thessalum Euphemum glebam accepisse domumque portasse, facile causam idoneam invenimus, cur ille aliquando, fortasse tum demum cum narrari coeptum esset glebam custodum neglegentia in mare delapsam adversus fata Theram venisse, de Graecia septentrionali in Peloponnesum translatus sit. Nam iam satis antiqua aetate Euphemi nomen et religio illuc translata sunt, ubi Orci portae esse credebantur, nam religiones ab alia ad aliam gentem migrare solent, non gentes tantum. Troezenem ex Orco Liber Semelam, Hercules Cerberum portasse narrabantur (Paus. II 31, 2); Homerus (*B* 846) dicit Euphemum Cicones duxisse, filium Troezenii, Troezenis scilicet eponymi. Pariter in Taenaro aditus ad inferos collocabatur; ea igitur de causa Euphemus illuc translatus est. Atque idcirco consentaneum est Cyrenaeos Euphemi Thessali oblitos esse, Taenarium in eius locum substituisse, quod Euphemi religio thessalica evanuerat, peloponnesiaca aucta erat[1]). De Boeotia idcirco non prorsus removeri potuit, quod fortasse iam Hesiodus illum Boeotum dixerat. Nam Hesiodum illum in Argonautarum numero commemorasse elucet e fragm. 143; quid autem verisimilius quam poëtam boeotum illum potius Boeotum quam Thessalum dixisse, cum praesertim ille fortasse iam cum Europa coniunctus esset? Ad originem taenariam stabiliendam accedebat quod Lacedaemoniorum, qua aetate iam Taenarum obtinebant, maxime intererat Cyrenaeos se de Laconia prognatos existimare; quid igitur verisimilius est quam illos huic opinioni favisse? Hanc doctrinam si sequemur, iam similitudo evadet inter fabu-

[1]) Nihil intererit, si credes nomen Orci Euphemum non uni genti graecae proprium sed multis commune. Tum existimandum erit Euphemum de Thessalia in Libyam venisse, Cyrenaeos Thessalum postea cum Taenario confudisse.

lam de Batto herodoteam et fabulam de Euphemo prorsus singularis: in utraque Thessali primas olim partes egerunt, tum Theraei in illorum locum interpolati sunt, tum denique Lacedaemonii (nam Lacedaemonios verisimile est etiam fabulam de Euphemo post Theraeos demum mutasse). In utraque Lacedaemonii Thessalos in Taygeto (nam Taenarum Taygeti promunturium est) constituerunt.

At dixerit quispiam: „Opinatio ista tua coniecturis continetur; Maltenii doctrina Pindari testimonio, multis aliis argumentis nititur". A coniectura me profectum esse equidem candide fateor, quam si accipies, reliqua iam consequentur; coniecturam vero necessariam esse mox demonstrare studebo, in praesentia illud Maltenii argumentum, quod nondum in transcursu redargui, diluere conabor.

Maltenius (p. 110) affirmat Pindarum, cum quartam Euphemi progeniem Libya potituram fuisse dicat, nisi gleba in mare delapsa esset, contra fabulam pugnare, qua „Aeoles" narrarentur in Libyam transmigrasse; creditum enim esse a Penthilo Agamemnonis e filio nepote migrationem „aeolicam" ductam esse; Euphemum vero una generatione Agamemnone vetustiorem fuisse, una enim generatione Argonautas Troica antecessisse. Quae primo quidem adspectu recte conclusa videntur; illi opinioni etiam favet, quod Pindarus adicit *τότε γὰρ* (id est *τετράτων παίδων ἐπιγινομένων*) *μεγάλας ἐξανίστανται Λακεδαίμονος Ἀργείου τε κόλπου καὶ Μυκανᾶν*, Danai scilicet, certam igitur migrationem intellectam voluisse videtur. At omnes fere recentiores Penthilum Aeoles trans mare duxisse crediderunt[1]), non Pindarus. Qui contra existimavit (Nem. XI 34) iam Orestem cum Pisandro filio mare transgressum Tenedum pervenisse. Praestat confiteri nos ignorare, quam migrationem quaeque tempora Pindarus spectet.

Coniectura contra, quam proponimus, compluribus de causis necessaria videtur: neque enim intellegitur, quare si Thessali in Peloponneso diu commorati inde ad Libyam migrarint, unus Euphemus, non reliqui heroes, in Peloponneso habitasse dicatur; quare Battus Theraeus e colonis Thessalis prognatus, non Peloponnesius fuisse memoriae tradatur; quare denique Cyrene ab Apolline e Thessalia, non e Peloponneso rapta esse narretur.

[1]) Testimonia omnium unus diligentissime collegit, disceptavit R. Laqueur Hermae XLII 1907, 515 sqq.

Accedit dialectorum ratio; nam linguae Peloponnesiorum qui e Thessalia venerint, se cum Pelopibus priscis permiscuerint, nullum iam monumentum exstare ipse liberaliter concedit Maltenius (p. 145), pariter monet vel nullam vel certe parvam affinitatem dialecto Cyrenensi cum arcadicocypria intercedere. Indicia vero sunt quibus comprobetur fuisse, cum Thessali simili dialecto uterentur atque Cyrenaei. Cyrenaei enim vocalem *o* ante *νσ* ex *ντ̯* derivatam, simulatque nasalis evanuit, ita produxerunt ut *οι* fieret, non aut *ου* aut *ω*, ut in reliquis dialectis, in illis quidem in quibus *νσ* mutetur. Id anno demum 1903 compertum est, cum M. Fränkelii sollertia titulus cyrenensis aetatis augusteae e Fourmontii schedis in lucem prolatus est, in quo formae illae *ἀνήκοισαν* (Berliner Sitzungsber. 83 *a* 12), *προγεγονοίσας* (ibd. *a* 20) apparent; nam inscriptiones cyrenaeae vulgatae erant non multae eaeque et breves et recentes. Neque suspicari licet Cyrenaeos aetatis augusteae antiquam elegantiam affectantes peregrinas formas temere propriis immiscuisse. Nam cum his participiis praeter Cyrenaeos Lesbii tantum uterentur, qui Cyrenensibus in mentem venisset sive gentem cum qua, quantum scimus, nulla cognatione coniungerentur, sive Alcaeum et Sapphonem, poëtas melicos, imitari? Talibus praeterea formis pariter poëta Cyrenaeus Callimachus usus est in hymnis V et VI (*ἑλοῖσα* V 21; *βαλοῖσα* V 25; *ῥεοίσᾳ* V 71; *κλαίοισα* V 95; *ἐξελάοισα* V 141; *παραψύχοισα* VI 45; *εἰποῖσα* VI 65; saepius *ου* traditur, ut consentaneum est), urbis patriae consuetudinem secutus. An credendum illum in carminibus vel epicis vel certe altero hexametris altero distichis conscripto Alcaeum et Sapphonem lyricos imitatum esse? At accusativis pluralibus masculinis declinationis II. utitur in *ος* exeuntibus (VI 34 *πάντας δ' ἀνδρογίγαντας ὅλαν πόλιν ἀρχίος ἄραι*, quos cum et Arcades et Thessali et plurimae gentes doricae in quarum numero Theraei, tum Cyrenaei ita formant (cfr. ex. c. GDI 4854, 4); Lesbii contra *ἀρχίοις* dixerunt.

Cyrenaei igitur, ut rem brevi comprehendam, *ἑλοῖσα* pronuntiarunt, item Lesbii; aliae gentes, quantum scimus, nullae. Maltenius inde quod Euphemus pariter et Lesbius et Cyrenaeus dicitur, conclusit illum antiquitus Thessalum fuisse; quid, si quod *ονσ*, quotiescumque *νσ* e *ντ̯* factum sit, apud Lesbios pariter atque Cyrenaeos in *οισ* transeat, inde efficiamus fuisse hanc mutationem quondam thessalicam, e Thessalia has formas et Les-

bum et Cyrenas translatas esse? At dixerit quispiam Thessalos contra *νς* prorsus non mutasse[1]). Sane quos quidem novimus; at inter omnes qui linguarum historiae noscendae operam dederunt, constat saepe in quoque populo mutationem coeptam interrumpi, sonos pristinos, ut ita dicam, in integrum restitui. Velut *s* in vocabulorum exitu Scipionis Barbati aetate paene evanuerat, Ciceronis temporibus omnium in oribus rursus sonabat. Fieri igitur potuit ut Thessali, qua aetate Cyrenenses et Lesbii ab illis discesserunt, *-οισα* pronuntiarent, postea ut antea *-ονσα*. Neque novimus utrum illae gentes quae iuventutis suae partem in Libyam misissent, ipsae in Thessalia manserint an detritae et prorsus deletae sint aliis populis urgentibus, affines tantum superstites fuerint. Haec omnia non nego in opinatione posita esse; sed, quotiescumque in mentem venit Cyrenaeos se Thessalos credidisse, existimasse enim eponymam suae urbis a Thessalia illuc raptam, heroes Thessalos Libya potiri conatos esse, deum Thessalum heroi Thessalo eandem terram seu denegasse seu concessisse, facere non possum quin credam formas dialecti cyrenensis cum lesbica communes e Thessalia utrobique translatas esse, praesertim cum constet dialectum lesbicam e thessalica derivatam; facere non possum quin pertinaciter negem hunc tam singularem consensum casu factum esse.

7

Quaestionem quam iamdiu in suspenso reliquimus, iam in transcursu paene inscii atque imprudentes solvimus, utrum illi qui Theram a Thessalis conditam dixerunt, id traditum accepissent an ipsi ad eam civitatem id quod in Cyrenas quadraret transtulissent. Nam, qui linguam cyrenensem e thessalica et dorica permixtam affirmet, norit Theraeos dialecto cum a laconica satis diversa[2]) tum genuine dorica usos esse, is necesse est confiteatur colonos Cyrenas prius e Thessalia quam Thera venisse, fuisse cum Theraeis et Thessalis prorsus nihil commune intercederet. Eodem redit quod complures heroes thessali in Libya regnasse, mortui esse narrantur, nullus, quantum scimus, Therae. Nihil vero adversus hanc opinionem valet quod qui aetate fortasse

[1]) Exempla collegit Maltenius p. 144.
[2]) Cfr. Blaß, GDI III 2, p. 150.

romana Admetum Theuclidae filium, Apollinis Carnei sacerdotem mortuum honorarunt, gloriati sunt illum non tantum ab Heraclidis, Lacedaemoniorum regibus, verum etiam a Thessalis, a Peleo et Pherete originem repetivisse (IG XII 3, 868, 3 *οὐ μόνον εὐχοῦμεν Λακεδαίμονος ἐκ βασιλήων, ξυνὰ δὲ Θετταλίης ἐκ προγόνων γενόμην*; cfr. v. quoque 5; 869, v. 1). Quo tantus fastus nitatur, discimus e sequentibus verbis *σῴζω δ' Ἀδμήτου κατ' ἴσον κλέος ὡς ὄνομ' εὐχῶ*. Ipse scilicet homo gloriosus contenderat, quod Admetus vocaretur, Admeti illius thessalici se progeniem esse. At sescenti illa aetate ita appellabantur. Item nomini dei sive herois Chironis, quod in titulo lapidi inscripto exstat, antiquissimo illi quidem (IG XII 3, 360), nemo sanus iam multum dabit[1]; nam di non tantum cum gentibus, sed de alia ad aliam gentem migrare solent.

8

Seu demonstravimus seu demonstrare studuimus primos Thessalos in Libyam migrasse, tum Theraeos; postea Graecos ex insulis civium numero additos esse compertum est. Iam quaeret quispiam, qua de causa Thessali migrarint, quo itinere ad tam longinquam terram pervenerint. Fateor me id omnino nescire. Sed gentium migrationibus tabulam populorum Graeciae pristinae summopere mutatam esse inter omnes constat; licet opinari Dores Thessalos de sedibus pepulisse. Huic opinioni favet quod non omnes gentes thessalicae, quarum eponymi in Libyam translati sunt, easdem sedes illa aetate quam nobis Lycophronis fontes repraesentant, obtinebant atque Catalogi homerici temporibus. Utrum per insulas an per Peloponnesum iter fecerint, non diiudico. Nam neque linguae neque priscis fabulis cyrenensibus vestigia peloponnesiaca inesse contendo; in Peloponneso tamen illos aliquantum commoratos esse, quis negare audebit? quis discernere utrum annos an saecula? At colonos Thessalos Coum migrasse constat[2]. Neque vero Cos a Creta neque Creta a Libya tam longe distant, ut illa freta non facile superari potuerint. Neque enim necesse est totum populum migrasse, sed aliquos delectos[3]. Dixeris neque in insulis minoribus neque Cretae

[1]) Recte iudicavit Maltenius p. 177. 188sqq.

[2]) Cfr. p. 132sq.

[3]) Similia Gerckius p. 447.

vestigia thessalica iam inveniri. At a Doribus subiectae sunt; quae vero reliquiae manus fortasse satis exiguae fuisse potuerunt? Coi, Cnidi fortasse fuit cum omnes incolae thessali essent[1]).

Nodos maiores extricavimus, restant minores. De Phoenicibus, qui Theram ante Dores habitassent (Herod. IV 147), pauca p. 113 monui. Memoria oportet teneamus Herodotum iniuria credidisse Phoenices omnes insulas maris Aegaei, fere totum terrarum orbem tenuisse; hos contra mare Aegaeum tum demum navigare coepisse, cum Graeci iam Asiam Minorem occupassent[2]). Idem narrat Cadmum, cum Theram appulisset, illic cum alios Phoenices tum e suis cognatis Membliareum reliquisse; idem Theram ipsum civitatis doricae Therae conditorem origine Cadmeum fuisse. Iam elucet Phoenices ea una de causa Therae collocatos esse, quod sive omnes Theraei sive una certa gens se Cadmo prognatam praedicabat[3]). Verisimile est Herodotum primum pro Cadmeis Phoenices substituisse.

Superest ut quaeramus quae gentes et spartanae et theraeae Cadmum sibi stirpem vindicarint. Herodotus enim narrat (IV 149) Aegeum, Aegidarum gentis spartanae nobilissimae eponymum, Oiolyci filium fuisse, Therae ex filio nepotem; idem eodem loco dicit esse Therae in insula *ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν τούτων γεγονότας*. Pindarus item (Pyth. V 73 sqq. *ἀπὸ Σπάρτας . . . · ὅθεν γεγενναμένοι ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεῖδαι*) narrat Aegidas Sparta Theram migrasse[4]). Utrum Aegidae, gens spartana, Cyrenas migrarit an ex eo genere alii Spartam alii Theram sive Thebis[5])

---

[1]) De Cnidiis cfr. p. 116.

[2]) Id quod Iulius Beloch primus demonstravit (Rh. Mus. XXXIV 1894, 111 sqq.), nunc omnes consentiunt. Illius disputatio nunc historiae graecae editioni alteri inserta est (Gr. Gesch. I² 2, 65 sqq. 245 sqq.).

[3]) Hoc iam Studniczka perspexerat.

[4]) Id ex eo loco obscuro quidem et controverso certe concludere licet: utrum vero Pindarus an chorus loquatur, quid *πατέρες* significet, quamquam ipse in Wilamowitzii et Maltenii opinionem inclino, non est meum diiudicare, neque illa quaestione soluta multum ad Cyrenarum historiam noscendam redundabit.

[5]) Gentem thebanam hoc nomine fuisse male negavit Studniczka. Nam, utut de Pindari v. 76 iudicas, Androtionis (apud Tzetz. ad Lycophr. 495), Aristotelis (schol. ad Isthm. VII 18), Ephori (schol. ad Pyth. V 101), scholiastae ad Pyth. V 96 testimonia quo iure in dubium revocantur? Cfr. Wilamowitz, Aristoteles u. Athen 128, adn. 6; Malten p. 171.

sive e Thessalia[1]) migrarint an complures gentes cognomines multifariam fuerint, quae non ante Pindari aetatem originem sibi communem vindicassent[2]), non est meum iudicare; quamquam in hanc potius opinionem inclino, quotiescumque Aegei Atheniensium regis in mentem venit; nam ex una stirpe Aegidas thessalos dores atticos ortos esse quis facile credat? At omnes ab undarum deo originem repetiverunt. Hoc unum certum videtur, illum primum Theraeos Cadmeos dixisse, qui in animo haberet Aegidarum et theraeorum et spartanorum gratiae et potentiae inservire. At neque Aegidae lacedaemonii cum theraeis neque Aegidae theraei originem cum lacedaemoniis communem quaerere potuerunt, antequam inter omnes constitit Theram Lacedaemoniorum coloniam fuisse. Nam propterea Theram Lacedaemoniorum coloniam dictam esse quod genus theraeum sibi originem spartanam vindicaret, is tantum facile censebit qui magna a parvis explicabit. Contra concludendum est, postquam credi coeptum esset Theraeos origine spartana fuisse, gentem theraeam eandemque spartanam sive, quod nihil differt, gentes spartanam et theraeam cognomines praedicasse e Thera civitatis eponymo Aegidas prognatos esse, sibi singulare quoddam ius in illam insulam propterea esse, quod iam ante Theram cognati, Cadmeones scilicet, illam habitassent. Maltenius vero (p. 178) Hillerum (Therae III 61) secutus, inde quod nomen *Μαισιάδας* Therae in titulo legatur rupi insculpto (IG XII 3, suppl. 1440) qui e dextra ad sinistram decurrat, concludit satis antiqua aetate illic fuisse qui ab Aegeo originem repeterent: Spartae enim *Μαῖσιν*, Hyraei filium, Aegei nepotem Cadmi, Oiolyci, Aegei sacella condidisse Pausanias testatur (III 15, 18); at quis erit qui ex uno nomine[3]) non dico communi sed simili sive ab eadem stirpe derivato quicquam colligere audeat? Atque ipse Maltenius (p. 181) negat Aegidas ante VI. saeculum

[1]) Si e nomine raro illo quidem *Οἰόλυκος* in titulo pharsalio III. a. Chr. n. saeculi (IG IX 2, 234) quicquam cum Maltenio (p. 179) colligere licet.

[2]) Apollinem delphicum diiudicasse antiquissimam Aegidarum sedem Lacedaemonem fuisse legimus apud Pindarum (Pyth. V 96 *τὸ δ' ἐμὸν γαρύει*, Apollo scilicet, *ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος; γαρύει* pro *γαρύεται* Wilamowitzius, Textgeschichte der Lyriker 99, adn. 2). Cfr. Malten p. 171.

[3]) Nam nomina *Αἰγεύς* et *Οἰόλυκος* (IG IX 3, suppl. 1502, 1549) in titulis leguntur litteris apicatis conscriptis. — Aegidas Cyrenis fuisse neque in animo est affirmare neque negare, sed monere eum titulum in quo Boeckhius nomen *Οἰόλυκος* recte restituit (CIG III 5258), aetate demum romana exaratum esse.

Lacedaemone Theram migrasse, neque igitur illam inscriptionem vetustiorem iudicat[1]).

9

Pindarus (Pyth. V 82sqq.) dicit Theraeos in Libya ab Antenoridis hospitio receptos, qui Troia capta cum Helena illuc migrassent, illos postea quasi proprios heroes coluisse[2]). Lysimachus vero ἐν πρώτῳ τῶν Νόστων (apud schol. ad Pindari Pyth. V 108) narrat collem inter Cyrenas et mare ab Antenoridarum nomine vocatum esse, qui Troia eversa apud Amnacem Libyum regem habitatum concesserint. Collis igitur et sacrum Antenoridarum illic fuit. Quando haec fabula orta sit, non facile enucleabitur; sed, utut de illa iudicaveris, nemo Antenoridis cyrenaeis plus tribuet quam eiusdem Antenoris in Italiam migrationi, quam tamen iam Sophocles (ap. Strab. XIII 608, p. 805, 25 Mein.) narravit, aut Romae ab Aenea conditae.

10

Meum est profiteri nullum ad opinionem meam propius accedere quam Gerckium; a quo tamen ita dissentio, ut facere non potuerim quin hanc disputationem conscriberem.

---

[1]) Haec tam brevibus disputavi, quod plerumque cum Maltenio consentio, nisi quod ille (p. 181) existimare videtur coloniam a Lacedaemoniis Theram missam esse; id quod factum non est, siquidem demonstravimus Lacedaemoniorum partes fabulae iam perfectae atque absolutae interpolatas esse. Cautius locutus erat p. 180: „Die Ausgrabung Theras hat auch hier Licht gebracht; wie das theräische Alphabet zeigt, datiert der Einfluß Spartas auf Thera aus dem VI. Jahrhundert."

[2]) Nam recentibus interpretibus dubitans equidem accedo.

III. De aliquot hymnorum forma et figura.

1

Callimachi hymni I., III., IV., quamquam hymnorum homericorum non prorsus similes sunt, id quod alias demonstrare in animo est, eorum tamen formae propius accedunt; hymni contra II., V., VI., ut inter se similes sunt, ita ab illis toto caelo distant. In unoquoque festum potius fingitur quam describitur; piorum turbam non praeco sed unus de multitudine hortatur rem divinam rite facere, dei potentiam seu variis illius factis enarratis sive uno certo facinore praedicat. Unumquodque carmen dei praesentis mentione concluditur.

Maxima arte illud carmen, quod potissimum hoc libello disceptavimus, compositum videtur; carmen in Palladis lavacra scriptum alterum locum obtinet; hymnus Cereris ut viride ingenium et egregiam indolem ita manus adhuc rudes prodere videtur. Feminae [1]) per urbem Cereris in honorem incedentes eiusque sacra portantes oculis subiciuntur; viri a viarum usu hoc die paene excluduntur. Is qui loquitur, mulieres monet ne de fenestris neve de tectis cistam mysticam despiciant neve collustrent: neque enim cuiquam licere sacra intueri neque puellulis neque mulieribus neque virginibus quae crines in humeros demittant, ne hoc quidem die quo omnes ieiunae os aridum habeant [2]). „Quando Vesper lucebit? Vespere enim demum Ceres filiam quaerens bibit. Ter omnes fluvios transgressa est, ter ad fontem eleusinium Callichorum pervenit, neque tamen edit aut bibit aut lauta est. At praestat ea reticere quae Cereri lacrimas moverunt; praestat

[1]) De hoc carmine modo disputavit Udalricus de Wilamowitz-Möllendorff in prooemio interpretationi germanicae praeposito (Reden u. Vorträge[3] 271 sqq.), egregie utique, sed ut de discrimine, quod inter hunc hymnum et reliquos duos, quos dixi, intercedat, minus recte iudicare videatur.

[2]) Callimachi versus paucis comprehendo, non interpretor.

illius facinora egregia narrare, quomodo leges generi humano concesserit, quomodo frugum artem Triptolemum docuerit, quomodo (ut quis superbiam vitet) illa Erysichthonis delictum puniverit[1]). Iam Erysichthonis Triopae filii historia enarratur, qui idcirco inexplebili fame perierit, quod arborem deae sacram cecidisset. Quae a v. 24 usque ad v. 117 pertinet. Iam sacra adsunt; iam Callimachus vel quisquis loquitur mulieribus formulam praeit sollemnem, ipse edicit quibus fas sit deam usque in templum comitari, quibus usque ad prytaneum, quibus liceat illam pro viribus sequi, ut quaeque possit; ipse denique deam praesentem alloquitur.

Eandem callide excogitatam carminis formam deprehendimus, quae in hymno II. scitissime exculta est. Sed complura sunt in quibus offendamus. Nam Callimachus Erysichthonis historiam cum narrat, ipse ridet vel certe subridet; neque enim profecto vult nos regii adulescentis miserere, cum dicit illum etiam felem, „quam parvae bestiolae tremerent", comedisse. At Richardus Reitzenstein elegantissimo libello „de narrationibus portentosis hellenisticis"[2]) demonstravit fuisse Callimachi aetate certum hominum genus, quod deorum potentia, egregiis facinoribus, „virtutibus" celebrandis sibi victum quaereret, aretalogos. Callimachum ad istorum cantilenarum exemplum se applicare easdemque leniter ridere scite observavit Wilamowitzius (p. 287). At num libera illa narrationis festivitas atque initii et exitus gravitas recte consociatae sint, mihi dubium est; equidem in illo tam improviso transgressu offendo. — Turbae ieiunae impatientia, quando demum Vesper, qui iam de caelo furtive speculatus sit, eluceat, egregie repraesentatur. Eo mirabilius est Callimachum ne conatum quidem esse oculis subicere, quid in mulierum animis evenerit, simulatque Cereris sacra e longinquo conspecta sint. Erysichthonis enim mortem reticuit, ut eorum qui legerent stomachis parceret, non quod Ceres iam advenisset[3]); nam quid ex historia redundet ad mores hominum emendandos, addit. — Quis loquatur, minime perspicuum est; nam viris in sacro muliebri nullus locus est. Sunt profecto quibus haec nebula et caligo ipsa placeat, mihi vehementer displicet. — Manifestum est Callimacho non facile suc-

[1]) In v. 23 hiat lacuna.

[2]) Hellenistische Wundererzählungen (Lipsiae 1906).

[3]) Quod moneo adversus Wilamowitzium (p. 278).

cessisse ut sibi iter ad historiolam facetam narrandam muniret. Arte singulari a Cereris peregrinationibus ad leges concessas, ad panem inventum, inde ad superbum punitum transgreditur, sed tali arte ut neminem fugiat artem illam esse, non naturam.

Palladis lavacra multo sollertius composita videntur. Qui loquitur, vel praeco est vel praeconis officium in se recepit. Iam a carminis initio a Minerva tenetur, habetur, possidetur, ut de nulla alia re cogitet, nihil aliud conspicere sibi videatur nisi ipsam deam praesentem. Identidem tamen exspectatione decipitur, identidem sese exspectatione deceptum confitetur. Nam carminis initio, quasi ipsa dea adsit, puellas monet, ut officium suum et rite et sedulo expleant: se enim deae equorum fremitum audire. V. 33, item v. 43 non iam puellas monet, sed ipsam Minervam orat ut prodeat, a Minervae invocatione ad puellas monendas convertitur. In ipso tandem carminis umbilico (v. 55sq.) sentit Minervam serius fortasse adfuturam quam sperarat, puellis se paratum exhibet historiam narrare, ut otium expleat. Neque iam *ἔξιθ' Ἀθαναία* invocat, sed *πότνι' Ἀθαναία τὸ μὲν ἔξιθι, μέσφα δ' ἐγώ τι ταῖσδ' ἐρέω*, ubi illa voce *μέσφα* „interdum“ se exspectatione deceptum non dico confitetur, sed pudenter quodammodo significat. Historia conclusa prodit Minerva, quam poëta non iam absentem, sed revera praesentem alloquitur. Sed historia non e longinquo per rivulorum flexus deducta est, sed e fonte uberrimo eodemque proximo hausta. Cum enim quasi fortuito Callimachus puellas monuerit, ne imprudentes e fonte hauriant, periculosum enim mortalibus esse cum alios deos tum Minervam conspicere, ei in mentem venit, ut nobile huius periculi exemplum narret, historiam quam dixi. Pariter una vocula addita *ἔρχετ' Ἀθαναία νῦν ἀτρεκές*, „nunc tandem revera Minerva prodit“, illius laetitiam oculis subicit, qui tamdiu frustra exspectaverit. Atque id quoque mihi artis excultioris documentum videtur, quod facilius nobis animis repraesentare possumus, quis is qui loquitur sit, praeco videlicet.

Eandem fere artem in Apollinis hymno deprehendimus, nisi quod totum carmen multo callidius compositum est. Saepius monuimus, quanta arte Callimachus se non praeconem consuetum et mercennarium, sed hominem fingat de turba, qui sacro furore correptus praeconis vices in se recipiat, multitudinem tacere, puerorum chorum canere saltare hortetur, ipse dei „virtutes“

enarret, versum intercalarem, simulatque audiverit, iteret, illum explicare studeat, ut Apollinis gloriam praedicet. Pariter monuimus iam in hoc carmine ipsum Callimachum a forma consueta discedere: egregiis enim Apollinis facinoribus unum ridiculum adicit, quo ille deus sibi gratificatus sit: in ea re iocatur, quod carmen minime homericum epilogo homerico concludit, novum praeconium cum hymno homerico permiscet[1]). Neque hoc potuit, nisi credidisset formam huius praeconii consuetam, quam facete detorquet, omnium qui legerent, ante animum versari. Consequitur, ut hanc formam prius ipse excoluerit, id est prius hymnos V. et VI. scripserit quam III.; id quod aliis de causis plerique credunt.

Nam illum hanc formam traditam accepisse, non invenisse, vix et ne vix quidem mihi persuaderi poterit. Carminis enim genus, quod actioni aemulatur, necesse est legi, non agi. Callimachus non haec carmina Cyrenas Argos Eleusim (vicum alexandrinum dico) misit quae agerentur, sed amicis ipse recitavit, bibliopolis tradidit ut venirent. Nostri ille multo similior fuit quam Pindari aut Euripidis. Quando vero carmina scripta sunt, ut legerentur tantum, non agerentur, nisi aetate demum hellenistica, Callimachi temporibus? Si vero id ita est, quo iure tale carminum genus inventum potius poëtae aequali quam ipsi tribuimus, siquidem nullus illa aetate poëta fuit, qui tantum et arte et ingenio valeret? Nam de Callimachi ingenio ita sentio, quamquam scio multos ab Augusti aetate usque adhuc fuisse, qui de illo secus iudicarent. Neque Theocritum poëtam quidem elegantissimum Callimacho antepono.

2

Hanc carminis formam a Callimacho et inventam et excultam multi postea receperunt et flexerunt. Poëtae huius generis graeci iam non exstant, nam Bionis Adonis, quicquid scripsit Wilamowitzius[2]), satis diversus est; carmina latina adhuc manibus terimus unum et alterum. Velut Horati c. III 14 mihi ita explicandum videtur, quamquam omnes aliter interpretantur. Homo de vulgo inter multitudinem, quae Augustum ab Hispania reducem

[1]) Cfr. p. 76 sqq.
[2]) Reden u. Vorträge[3] 332 sqq.

urbem ingressurum exspectat, stat atque matronas duci obviam procedentes conspicit. Hic Augusti adventum talibus verbis renuntiat, quae aptissime in praeconem cadant: *Herculis ritu modo dictus, o plebs, morte venalem petiisse laurum Caesar Hispana repetit penatis victor ab ora.* Hucusque scribendi genus praeconii simillimum est, nisi quod laurus morte venalis poëtae animos prodit. Pariter, quod sequitur monitum, ut matronae Augusti uxore et sorore ducibus iam prodeant, neve pueri et puellae sacrum silentium turbent, sacrorum formulas imitatur: *unico gaudens mulier marito prodeat iustis operata sacris et soror clari ducis et decorae supplice vitta virginum matres iuvenumque nuper sospitum; vos, o pueri et puellae . . .*[1]), *male nominatis parcite verbis.* At quae sequitur stropha, ostendit non praeconem quemlibet mercennarium sed virum qui de patriae suaque salute timuerit, nunc iam Augusto incolumi confidat, praeconis munus in se recepisse. Hic non dubitat ipse de se loqui: *hic dies vere mihi festus atras exiget curas: ego nec tumultum nec mori per vim metuam tenente Caesare terras.* Iam, qui legunt, quaerunt, quis ita loquatur; homo utique qui multa et gravia perpessus sit, qui de patria saepius desperaverit. — Multitudo iam dispersa est; iam poëta domum non dico profectus sed raptus est; iam convivium apparat: *i, pete unguentum, puer, et coronas et cadum Marsi memorem duelli, Spartacum siqua potuit vagantem fallere testa.* Qui ita loquitur, iocatur. Sequitur: *dic et argutae properet Neaerae murreum nodo cohibere crinem.* Quicumque illa aetate hos versus legit, in Neaerae nomine haesit, num haec Neaera eadem esset atque illa, cuius a se discidium poëta multis annis ante epodo XV. lamentatus esset. Sequitur: *si per invisum mora ianitorem fiet, abito; lenit albescens animos capillus litium et rixae cupidos protervae, non ego hoc ferrem calidus iuventa consule Planco.* Qui haec legit, statim sentit se recte suspicatum esse, sentit praeconem illum voluntarium Horati versus laudare. Ipse poëta confitetur se tunc non talem esse qualem illa aetate qua carmen vehementissimum adversus Neaeram falsam et mendacem composuisset. Iam puellis repugnantibus non minatur, sed tolerat. Qui de se talia significat, qui eorum in mentem qui legant suum carmen revocare studet, is profitetur se non hominem de vulgo esse, sed vatem nobilem, Q. Horatium Flaccum.

[1]) Verba corrupta exscribere nolo.

Miras inter hoc carmen et Apollinis hymnum similitudines deprehendimus. Utrobique actio progreditur, dum poëta recitat; utrobique carmini minime homerico *σφραγίς* quaedam affingitur, ut sollemne fuit in citharoedorum *νόμοις*. Utrobique poëta in ipso exitu se non nominat, de se tamen ita loquitur, ut neminem fugiat, quis recitare fingatur, cum contra initio incertum fuerit, utrum praeco mercennarius an homo de turba silentium faceret, formulas sacras praeiret. Utrumque carmen a sacri severitate orditur, ad risum et iocos deflectit. Horatius tamen multo liberius rem administrat: Callimachus enim vix ausus esset qui legerent de platea in poëtae domum, de sacro in convivium rapere potius quam transferre. At Horatius non hymnum hexametris concepit sed carmen lyricum composuit, quod genus singularem sibi libertatem vindicat. Equidem non dubito quin Horatius aquam potarit de lacu callimacheo rivulis nescio quibus sub terra absconditis derivatam. Nam illum de Callimacho ipso hausisse ea de causa non crediderim [1]), quod Tibullus elegiam scripsit odae horatianae similiorem quam hymni callimachei atque tamen non tam similem ut inde fluxisse videatur, elegiam dico II 1.

Qui loquitur, ferias conceptivas [2]) indicit, non praeco sed

---

[1]) Minime nego Horatium Callimachi hymnos ipsum penitus novisse (quidni? in scholis legebantur), sed contendo artem, quae ab illis hymnis originem caperet, inter Callimachum et Horatium auctam et exornatam esse, ita ut neque Horatio neque Tibullo necesse esset certum exemplar imitari. — Richardus Reitzenstein in disputationibus elegantissimis, quid Horatio cum poëtis hellenisticis intercesserit (N. Jahrb. f. d. klass. Alt. 1908, p. 97. 365 sqq.), de hoc carmine minus recte iudicare videtur. Illud enim cum papyro quadam componit, quae a Kornemanno (Klius VII 1907, 278) edita est. In hac Phoebus Hadrianum novum imperatorem renuntiat, tum nescio quis cives suos hortatur laetari atque stratego liberalitatum gratum animum praestare. At similitudo non tanta est quanta ei videtur, nam *δῆμος*, quem Phoebus alloquitur, aut vicus est, ut Kornemannus interpretatur (nam haec papyrus una cum actis empta est a. II. aut III. Hadriani imperatoris Apollonio *Ἀπολλωνοπολείτου Ἑπτακωμίας στρατηγῷ* datis), aut populus universus. Illud vero deest, quod Horati proprium et peculiare est, transgressus de sacro ad convivium. Accedit quod apud Horatium unus recitat, hic prius Phoebus, deinde, ut videtur, civis. Qui hac papyro usus Horatium interpretatur, de tenebris lucem promere conatur. Moneo priorem partem fortasse locum ex alio scriptore allatum esse. Papyrus ipsa integra est, ut ex imagine elucet, sed fortasse de non integro exemplo transcripta vel ex integro imprudenter excerpta.

[2]) Cfr. Reitzenstein, Wundererzählungen 159 sqq.

pater familias, ut ipse primis verbis confitetur[1]): *fruges lustramus et agros, ritus ut a prisco traditus exstat avo.* Di invocantur; humus, arator, boves, ancillae requiescere iubentur; impuri a re divina faciunda arcentur, imperatur ut qui sacrum facere velint, pura cum veste veniant, manus purgent. Sed iam actio progressa est: v. 15 Tibullus candidam turbam cernit quae oleis coronata agnum ad aram ducit; v. 17 agros et agrestes lustrat, deos rogat ut omnia sana salva incolumia concedant. V. 25 iam voti compos est: nam hoc felicibus victimae extis significari. Tum (v. 27) post breve silentii intervallum poëta ita prorsus domum ad convivium rapitur ut Horatius. Iam vinum petit, iam Messallae favorem carmini recitando; iam, in convivio videlicet, rus rurisque deos canere incipit, quot et quanta beneficia et agricolae et vita communis illis debeant. Dis agrestibus Cupido admiscetur. Illum Tibullus tantis laudibus prosequitur quantis illos deos quos prius dixit, sed ita ut sentiamus eum callide iocari, vel certe leniter subridere. Deum (v. 84) *palam pecori, clam sibi quisque vocet,* aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa obstrepit *et Phrygio tibia curva sono.* Iam omnium animi lasciviunt, iam tempus ludendi est, nam Nox advenit, mox Somnus et Somnia venient.

Hoc carmen multis nominibus Horatii, multis nominibus Callimachi simile est. Festum accurate describitur, ipsae formulae recitantur, res divina oculis subicitur, ut apud Callimachum. Sed totus dies carmine concluditur, quod artificium illius poëtae peculiare videtur, qui a forma horatiana profectus illius fines consulto transgrediatur. Tibullus celerrime a sacro ad convivium progreditur. Quae libertas idcirco vel maior videtur, quod elegiarum scriptor non eadem carminis brevitate constringitur qua poëta melicus. Sphragis addi ea de causa paene non potuit, quod totus elegiarum liber generis „autobiographici" est, ut qui legat, iam sciat nullum alium quam ipsum poëtam de se loqui; quod in Horati carmina non quadrat.

3

In festorum descriptionibus callimacheis antiquissimum illius artificii documentum nobis deprehendisse visi sumus, quo in car-

[1]) Incertius quam par erat iudicat Reitzenstein, quamquam ipse concedit verisimile esse in pagis patres familias praeconum vices in se recepisse.

mine sive omnino sive fere lyrico, dum ipse poëta loquitur, actio progredi fingitur. At haec scribendi consuetudo ab hoc genere ad alia plus minus similia paullatim translata est. Exemplum e poëtis graecis novi nullum (nam et Theocriti Syracusanae et Bionis Adonis aliter compositi sunt), e poëtis romanis multa, quae omnia colligere iam taedet, iuvat unum et alterum proponere.

Singulari arte exaedificatum carmen est Horati I 27: poëta in convivium venit, dum convivae inter se pugnant. Iam aliquis scypho alium iecit vel certe iacere minatus est. Horatius animos sedare studet: *natis in usum laetitiae scyphis pugnare Thracum est: tollite barbarum morem verecundumque Bacchum sanguineis prohibete rixis.* Tum acinacem persicum animadvertit de pariete raptum, de quo, triclinii ornamentum, pendebat: *vino et lucernis Medus acinaces immane quantum discrepat: impium lenite clamorem, sodales, et cubito remanete presso.* Impium idcirco clamorem dicit, quod in verecundum Bacchum peccat. Sequitur: *voltis severi me quoque sumere partem Falerni?* Quae verba non intellegi possunt, nisi concedas fingi aliquem in intervallo inter alteram et tertiam strophaṁ ab Horatio petivisse, ut iam longis orationibus dimissis ipse biberet. Idem igitur artificium deprehendimus quod apud Callimachum. Tum addit Horatius: *dicat Opuntiae frater Megillae, quo beatus volnere, qua pereat sagitta.* Poëtam leniter cavillari iam e voce illa *beatus* nostro iure colligere videmur: „Amore torqueris, sed tali amore, qui amantem incredibili dulcedine afficiat.“ Qui tum quaerit *cessat voluntas?*, is animadvertit Opuntiae fratrem reluctari; itaque intervallum quoddam silentii inter strophas tertiam et quartam statuendum est. Tum Horatius omnes machinas admovet, ut adulescentulus tandem loquatur: *non alia bibam mercede; quae te cumque domat Venus non erubescendis adurit ignibus ingenuoque semper amore peccas; quicquid habes, age, depone tutis auribus.* Sentimus adulescentulum, simulatque illas voces *non erubescendis* audiverit, statim erubescere, servam enim vel libertam amat. Quod stropha quinta cum quarta coniungitur, ad poëtae orationis impetum depingendum pertinet; at intervallum denuo hiat in media stropha, quo melius sentiamus carminis, ut ita dicam, cardinem hic verti. Adulescentulus amicae nomen Horatio in aurem susurrat; tum ille: *a miser, quanta laboras in Charybdi, digne puer meliore flamma;* tum ea nullo intervallo interposito secuntur quae extrema stropha continentur.

Similis est Ovidii Amorum libri III elegia altera. Poëta prope puellam in circo sedet: „Non huc veni ut equos spectarem, sed ut tecum loquerer. Utinam mihi contingat tibi, puella, curae esse, ut equorum agitator est," alia eius generis. At iam illos alloquitur, qui prope sedentes latere vel cruribus puellam parum modeste premunt: omnia enim ei suspecta sunt (v. 21): *tu tamen a dextra, quicumque es, parce puellae: contactu lateris laeditur ista tui. Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura, si pudor est, rigido nec preme terga genu.* Deinde ad puellam denuo convertitur: pallia nimium demissa colligat ipsa, aut se collecturum. Iam collegit, nam statim versu sequenti (v. 27), quid voluerit, aperit: *invida vestis eras, quae tam bona crura tegebas:* tum quantam flammam animo illa crura infuderint, confitetur. Tum se paratum exhibet tabella ventos arcessere. At improviso (v. 41) puellae vestem pulvere sparsam esse animadvertit, vel potius causam quaerit, cur illam temptet. *Sed iam pompa venit* (v. 43). In hoc Ovidius ad Callimachi exemplum propius accedit quam Horatius eo quod postremum disceptavimus carmine, quod ipse praeconis vices in se recipit: addit enim: *linguis animisque favete,* neque iam cum puella colloquitur, sed cum omnibus qui spectant. Sed non praeco mercennarius est, verum vir amans, ipse Ovidius: id enim sequentibus verbis significatur: *huc ades et meus hic fac, dea, vincat amor!* Tum denuo preces consuetae proferuntur, sed paene in contrarium versae: reliqui ceteros deos orent, ipse unam Venerem: *plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis! Nil mihi cum pelago, me mea terra capit. Plaude tuo Marti miles! nos odimus arma: pax iuvat et media pace repertus amor.* Ita fere de Phoebo et Minerva, de Cerere et Baccho, de Polluce et Castore loquitur. Tum (v. 55) ad Venerem et Amores denuo convertitur: *nos tibi blanda Venus, puerisque potentibus arcu plaudimus: inceptis adnue, diva, meis;* quid ipse ab ea optet, statim confitetur: *daque novae mentem dominae! patiatur amari.* Hic quoque, ut in oda Horati quae a vocibus incipit *Natis in usum,* carminis cardo non inter strophas sed in media stropha vertitur: nam inter prius et alterum unius distichi versum aliquid idque facile gravissimum agitur: *adnuit et motu signa secunda dedit.* Iam Ovidius vehementissime laetatur, iam puellae fidem sempiternam promittit. Sed iam praetor quadrigarum cursum indicit: dum poëta loquitur, currunt equi. Atque primo optime aurigae illius

equi currunt cui puella favet (v. 67): *cui studeas, video; vincet, cuicumque favebis: quid cupias, ipsi scire videntur equi.* Sed mox vices mutantur, nam auriga equos iam male regit: *me miserum! metam spatioso circuit orbe.* Iam alter a tergo premit: *quid facis? admoto proximus axe subit.* Neque Ovidius sibi iam temperare potest, quin ipsum aurigam iubeat puellae vota non perdere: *quid facis, infelix? perdis bona vota puellae: tende, precor, valida lora sinistra manu!* At iam alter prius advenit: una spes superest, Quirites cursum revocaturos; ipse Quirites rogat, id iactatis togis faciant. Faciunt, sed togarum ventus puellae capillos turbat, quam poëta callide monet ut in suos sinus confugiat. — Iam denuo curritur; iam omnia aurigae, cui puella favet, optime succedunt; iam palmam tenet. Nunc Ovidio tempus est illam palmam petere, quam puella annuit (v. 81): *Sunt dominae rata vota meae, mea vota supersunt: ille tenet palmam; palma petenda meast.* Sequitur: *Risit et argutis quiddam promisit ocellis: hic satis est; alio cetera redde loco.* Totius carminis vim et sales perdunt, qui, velut Brandtius Ehwaldius, ante v. 1, post v. 82 signa statuunt, quibus narratio directa introducitur, concluditur; credunt enim Ovidium postremo disticho indicare se haec narrare, quasi dicat: „Haec ego cum ea locutus sum, illa iam risit et promisit.“ Contra haec verba non minus aguntur quam quae praecedunt. Inter vv. 81 et 83 intervallum brevissimum silentii decurrit: Ovidius ipse secum collocutus erat, ita tamen ut puella audiret, dixerat sua vota iam superesse, ipse sibi animos fecerat, ut palmam suam peteret. Haec audiens puella iam ridet. Animadvertit Ovidius et ipse secum laetatur, tum puellam alloquitur haec satis in praesentia esse, alia alio loco reddenda. Ipsis vocibus *alio cetera redde loco*, ipso imperativo modo demonstratur eum etiam nunc in circo sedere.

Artificium illud callimacheum ab Ovidio ita excultum est, ut qui legat, facile etiam nunc sentiat a sacrorum descriptione illud esse profectum; amator enim, qui in circo spectat, si non ineunte, at medio carmine praeconis officium non iam furore sacro sed amore correptus suscipit. Horatius, poëta multo maior, multo maiore libertate eandem formam in suum usum converterat.

Talia carmina, quale illud Horati est *Donec gratus eram tibi*, neque praeconia sunt neque a praeconio derivata, sed mimi.

BINDING SECT. APR 2 - 1965

PA
3945
Z5P3

Pasquali, Giorgio
Quaestiones Callimacheae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY